Q. D. B. V.

EXERCITATIO THE

DE

CONTINVIS IN AETERNA FE

AD

ESAIAE CAP. LXVI.

QVAM

SVB PRAESI

DN. D. IOANNIS SCH

CONSISTORII ELECTORAL

ASSESSORIS, ALVMNORVM ELECT

COLLEGII B. MARIAE VIRGIN

ET ACADEMIAE DECE

PRAECEPTORIS AETATEM D

IN

AVDITORIO THEOLOGO

A. O. R. cIↄ Iↄcc XXI. D. XX

PLACIDO ERVDITORVM

SVBMITTET

A. & R.

M. CHRISTIAN. FRIDER.

LIPSIENSIS,

S. S. THEOLOGIAE CV

LIPSIAE,

LITERIS IMMANVEL

THEOLOGICA

S IN VITA
FERIIS,

LXVI, 23.

M

ESIDIO

SCHMIDII, P. P.

ORALIS ET DVCALIS

ELECTORALIVM EPHORI,

IRGINIS PRAEPOSITI,

DECEM-VIRI,

TEM DEVENERANDI,

OGORVM PAVLINO

XI. D. XXX. MAII

ORVM EXAMINI

T T E T

R.

DER. DORNFELD,

NSIS,

IAE CVLTOR.

SIAE,

NVELIS TITII.

VIRO,

MAGNIFICO AC SUMME

REVERENDO

DOMINO

HENRICO PIPPINGIO

S. S. THEOL. DOCTORI

IN AVLA REGIA ET ELECTORALI

SAXONICA

SACRORVM ANTISTITI

SVMMO

IN PROTO-SYNEDRIO ITEM

SENATVQVE ECCLESIASTICO

CONSILIARIO

PATRONO AC MÆCENATI SVO SVMMO

S. ET O.

M. CHRISTIAN. FRIEDER. DORNFELD, LIPS.



Um illustri Nomini Tuo, VIR SUMME, libellum hunc Academicum inscribere sustineo, ab iis fere omnibus, quæ alii, Viris in Ecclesia & Republica maximis scripta sua offe-

afferentes, commemorare solent, exclusum me deprehendo. Temeritatem quidem suam, qui tale quid audent, excusare inprimis consueverunt. Quodsi vero temerarium facinus hoc est, ecquid aliud erit, quam novum crimen, excusatio criminis & defensio, quodque audacter suscipitur, audacius forte defenditur. Audacissimum autem foret, in laudes heic TUAS digredi velle, quod fere solemne est in dedicationibus. Quid enim, quaeso, a tantillo ingenio dici poterit, quod Virtutum TUARUM & meritorum magnitudinem deceat, aut quid addi potest ad nominis TUI praeconia, quibus & universus orbis eruditus & Ecclesia inprimis Evangelica jamdudum TE circumtulit, aut quae majora, quam quae ipsa virtus TUA TIBI statuit, ponentur monimenta. Solent & pietatem erga Maecenates suam commendare, atque exin scribendi materiam desumere alii in operum suorum consecrationibus.

Ego vero, qui opere quam verbis erga tantum Virum pius esse malo, quæ mentis profundissimo splendoris ac EXCELLENTIÆ TUÆ *sensu tactæ ac tantum non perculsæ, affectui satisfaciant, dicere prorsus non habeo. Et sane si liberos ea servare ac augere par est, quæ ex parentum ipsis relicta sunt bonis; facile* VIR MAGNIFICE, *judicabis & quanta mihi in* TE *colendo contigerit hæreditas, quem tantopere coluit beate defunctus parens, quantoque nisi degener ac prodigus videri velim transmissæ ad me substantiæ filius, ardore ac studio suspiciendus sis mihi. Ea vero & ipsa, quam adii, paterna hæreditas de summo Tuo in me patrocinio securum me facit, qui favore eximio parentem, cujus ego sum filius, es olim amplexus, adeoque & illud mihi scribendi argumentum subtrahit, quo Patronorum gratiam in præfaminibus aucupantur disputantes. Securum imo facit egregia* TUA *in-*

do-

doles, qua veros studiorum amatores nunquam non foves & ornas quod præsidium TUUM, qui capax ejus fuerit, vel tacitus consequitur, indignum vero nec preces ullæ juvabunt nec commendatio. Ut vero jactantius dictum esset, dignum VIRI MAXIMI, id est TUO se dicere patrocinio; ita nec eos destituis, qui ad istam dignitatem omni animi contentione adspirant, id quod me plenissime consolatur. Ergo tandem nihil relictum est mihi, quam ut vota, quæ orbis literatus, quæ Ecclesia Evangelica, quæ Saxonia, quæ utraque nostræ Lipsiæ Respublica, quæ clientes, quæ omnes boni pro TE, VIR SUMME, TUAque salute & incolumitate perenni faciunt, publica oratione concipiam. Servet TE, Numen æternum VIR MAGNIFICE, cumque & virtutibus TUIS & magnitudini adjici vix quicquam possit, immortalitatem autem jamdudum TIBI pepereris, fata

sal-

Ego vero, qui opere quam verbis erga tantum Virum pius esse malo, quæ mentis profundissimo splendoris ac EXCELLENTIÆ TUÆ sensu tactæ ac tantum non perculsæ, affectui satisfaciant, dicere prorsus non habeo. Et sane si liberos ea servare ac augere par est, quæ ex parentum ipsis relicta sunt bonis; facile VIR MAGNIFICE, judicabis & quanta mihi in TE colendo contigerit hæreditas, quem tantopere coluit beate defunctus parens, quantoque nisi degener ac prodigus videri velim transmissæ ad me substantiæ filius, ardore ac studio suspiciendus sis mihi. Ea vero & ipsa, quam adii, paterna hæreditas de summo Tuo in me patrocinio securum me facit, qui favore eximio parentem, cujus ego sum filius, es olim amplexus, adeoque & illud mihi scribendi argumentum subtrahit, quo Patronorum gratiam in præfaminibus aucupantur disputantes. Securum imo facit egregia TUA in-

do-

doles, qua veros studiorum amatores nunquam non foves & ornas quod præsidium TUUM, qui capax ejus fuerit, vel tacitus consequitur, indignum vero nec preces ullæ Juvabunt nec commendatio. Ut vero jactantius dictum esset, dignum VIRI MAXIMI, id est TUO se dicere patrocinio; ita nec eos destituis, qui ad istam dignitatem omni animi contentione adspirant, id quod me plenissime consolatur. Ergo tandem nihil relictum est mihi, quam ut vota, quæ orbis literatus, quæ Ecclesia Evangelica, quæ Saxonia, quæ utraque nostræ Lipsiæ Respublica, quæ clientes, quæ omnes boni pro TE, VIR SUMME, TUAque salute & incolumitate perenni faciunt, publica oratione concipiam. Servet TE, Numen æternum VIR MAGNIFICE, cumque & virtutibus TUIS & magnitudini adjici vix quicquam possit, immortalitatem autem jamdudum TIBI pepereris, fata

sal-

saltem, precamur, quam diutissime TE concedant terris, quo nostris adhuc bonis vivas, patriæque & Ecclesiæ, cui semper abunde satisfaciendo nunquam facies satis, cujusque expectationem & desideria, dum vincis, amplificas indies ac confirmas, curis, consiliis & opera TUA, qua eget, respondeas. Vale! Dab. Lipsiæ A. O. R. cIↄIↄcc XXI. *D.* XXIX. *Maji.*

PRAE-



PRAEFAMEN.



Ui divina nobis tradunt oracula, & ex illis doctrinæ cœleſtis compagem ſtruunt atque corpus, ſolent inter cetera prudenter ac ſalubriter monita & hoc obſervare, moris id eſſe ſacris ſcriptoribus, ut, ſi quando de rebus futuri ſeculi ſermonem inſtituunt, eas imaginibus rerum præſentium adumbrent atque adeo *verbis hujus ſeculi res deſcribant futuri ſeculi.* Quam vere hoc & ſolide ſit animadverſum, quæque hujus rei ſint cauſæ, facile unicuique patere poſſe arbitramur. Scilicet quum tanta ſit ingenii humani imbecillitas, ut ſenſuum potius miniſterio, quam intellectus puri conceptibus in rerum cognitione adjuvetur, adeoque facilius ea teneat, quæ mediante viſibili quadam ac corporea ſpecie, aut ſaltem ſub ejusmodi rerum ſimulacris ipſi repræſentantur, quarum ipſa ſibi conſcia quodammodo eſt natura noſtra, earumque ſenſum quendam & experientiam habet, in iis vero difficillime verſetur, quæ a rebus noſtris remotiora & ſupra ſenſibilis mun-

saltem, precamur, quam diutissime TE concedant terris, quo nostris adhuc bonis vivas, patriæque & Ecclesiæ, cui semper abunde satisfaciendo nunquam facies satis, cujusque expectationem & desideria, dum vincis, amplificas indies ac confirmas, curis, consiliis & opera TUA, qua eget, respondeas. Vale! Dab. Lipsiæ A. O. R. cIↃ IↃcc XXI. D. XXIX. Maji.

PRAE-



PRAEFAMEN.



Ui divina nobis tradunt oracula, & ex illis doctrinæ cœleſtis compagem ſtruunt atque corpus, ſolent inter cetera prudenter ac ſalubriter monita & hoc obſervare, moris id eſſe ſacris ſcriptoribus, ut, ſi quando de rebus futuri ſeculi ſermonem inſtituunt, eas imaginibus rerum præſentium adumbrent atque adeo *verbis hujus ſeculi res deſcribant futuri ſeculi.* Quam vere hoc & ſolide ſit animadverſum, quæque hujus rei ſint cauſæ, facile unicuique patere poſſe arbitramur. Scilicet quum tanta ſit ingenii humani imbecillitas, ut ſenſuum potius miniſterio, quam intellectus puri conceptibus in rerum cognitione adjuvetur, adeoque facilius ea teneat, quæ mediante viſibili quadam ac corporea ſpecie, aut ſaltem ſub ejusmodi rerum ſimulacris ipſi repræſentantur, quarum ipſa ſibi conſcia quodammodo eſt natura noſtra, earumque ſenſum quendam & experientiam habet, in iis vero difficillime verſetur, quæ a rebus noſtris remotiora & ſupra ſenſibilis mun-

di ambitum sunt posita: visum est sapientiæ ac bonitati divinæ, in rerum divinarum ac cœlestium expositione dare nonnihil infirmitati nostræ, & sublimia illa mysteria captui nostro attemperare tantisper, ut sub involucris, alienis quidem, ac sua dignitate longe minoribus, quæ tamen obvia nobis ac familiaria sint, proposita nobis, mentem humanam vel sic afficiant potius, quam plurimorum aciem dicam? an hebetudinem prorsus effugiant. *Incomprehensibilia sunt*, ita bene MATTHIAS FLACIUS, *Dei opera & actiones, neque nos assequi aliquid de iis possemus, nisi sacra scriptura iis uteretur loquendi de Deo formulis, quæ rebus humanis propinquæ sunt. Itaque Spiritui sancto, Scripturarum autori, placet, propter captus nostri imbecillitatem nostro modo balbutire, & blandius humiliusque quam majestati tantæ convenit, nobiscum per signa & verba agere:* quod genus loquendi Hebræi eleganter vocant דֶּרֶךְ בְּנֵי אָדָם *viam filiorum hominis*, quod est ἀπὸ τῶν προσόντων ἡμῖν τοῦ θεοῦ τὰς ἐνεργείας χηματίζειν. Non longe sane hujus rei arcessenda nobis sunt exempla, quorum universus sacer codex undiquaque est plenissimus. Atque ut de rebus futuri seculi, de quibus sermonem nobis inprimis esse ab initio diximus, nonnihil adjiciamus, quis tam expers est sacrarum litterarum, qui nesciat, statum beatissimum, cujus sancti cœlites fiunt participes, cujusque post hujus mundi consummationem perfecta demum expectanda est manifestatio, sub variarum rerum, quæ hujus vitæ sunt, imaginibus depingi & adumbrari. Cujusmodi est, quando vocatur *regnum* Luc. XII, 32. XXII, 29. & cum variis additamentis *regnum Dei*, Matth. VI, 33. Marc. X, 23. Actor. XIV, 22. Rom. XIV, 17.

regnum

regnum cœlorum, Matth. V, 20. VII, 21. VIII, 11. *regnum Dei cœleste*, 2. Tim. IV, 18. *regnum patris*, Matth. XIII, 43. XXVI, 29. *regnum Christi*, Luc. XXIII, 42. Apoc. I, 9. *regnum æternum Domini ac Salvatoris nostri Jesu Christi*, 2. Petr. I, 11. *regnum paratum a constitutione mundi*, Matth. XXV, 34. Eundem fere in sensum vocatur ***Corona***, Apoc. III, 11. *corona justitiæ*, 2. Tim. IV, 8. *corona vitæ*, Jac. I, 12. Apoc. II, 10. *corona gloriæ*, 1. Petr. V, 4. Neque minus magnifice ac splendide sub ***civitatis*** ac ***Hierosolymæ cœlestis*** figura describitur. vid. Apoc. XXI, 2. 10. Ebr. XI, 10. 16. XIII, 14. XII, 22. Quæ sicuti ad splendorem ac majestatem futuræ vitæ adumbrandam faciunt; ita non desunt aliæ imagines, quæ voluptatem cœlestem ac exquisitissimas ejus status delicias nobis exhibent. Quem in finem collineat similitudo ***nuptiarum***, Apoc. XIX, 7. Matth. XXV, 6. 10. & ***convivii***, Apoc. III, 20. XIX, 9. 17. Luc. XIII, 29. XXII, 30. Atque ad hanc fere classem pertinere existimamus elegantissimum illud Esaiæ Vaticinium, quo beatam æternitatem ***perpetuarum Feriarum*** celebritati confert, cujus comparationis & alibi in sacris luculenta occurrunt vestigia. Dignum mihi ac conveniens hoc argumentum visum est, quod ubi libellum Academicum speciminis loco exhibendum haberem, materiam scriptionis qualiscunque esse voluerim. Ita vero commode in hac tractatione versari calamum posse existimavi, ut substrato fundamenti loco Esaiæ oraculo, primum voces singulas perlustremus, quæque ad illarum sensum explicandum faciunt aut illustrandum, præmittamus: postea vero genuinam loci sen-

tentiam excussis aliorum interpretationibus de vita æterna intelligendam esse ostendamus, ac demum ea doctrinæ cœlestis capita, quæ ad rem ipsam pertinent, breviter attingamus. Faxit DEVS feliciter!

Textus, Esaiæ Cap. LXVI, 23.

וְהָיָה מִדֵּי־חֹדֶשׁ בְּחָדְשׁוֹ וּמִדֵּי שַׁבָּת בְּשַׁבַּתּוֹ יָבוֹא
כָל־בָּשָׂר לְהִשְׁתַּחֲוֹת לְפָנַי אָמַר יְהוָה׃

Versio Græca.

Καὶ ἔσται μὴν ἐκ μηνὸς, καὶ σάββατον ἐκ σαββάτου, ἥξει πᾶσα σὰρξ τοῦ προσκυνῆσαι ἐνώπιον ἐμοῦ ἐν Ἱερουσαλὴμ, εἶπε κύριος.

Versio Latina Schmidii.

Tandem fiet de mense in mensem suum, & de sabbatho in sabbathum suum; veniet omnis caro ad incurvandum se coram me, inquit Jehovah.

Versio Germanica Lutheri.

Und alles Fleisch wird einen Monden nach dem andern, und einen Sabbath nach dem andern kommen, anzubeten für mir, spricht der HErr.

SECTIO

SECTIO I.

§. I.

PRima, quam Oraculum nostrum nobis sistit, vox est וְהָיָה. De varia literæ ו quæ heic verbo הָיָה præfigitur, usurpatione non est, ut multis agamus, cum hoc labore nos sublevarit Celeber. NOLDIVS *in Concord. partic. ebraic. a pag. 268. usque ad pag. 329.* literæ illius, quem in Sacra S. obtinet, usum operose admodum exponens, quem tamen, cum laudatus ille Vir magno quidem, ast paululum indistincto agmine seu cumulo adduxerit, non infelici successu in ordinem redegit Clarissimus DANZIVS in suo *interprete §. 139. p. 315. seq.* Istud autem silentio præterire non possumus doctissimum GVSSETIVM *in Comment. Lingu. Ebr. pag. 218.* literæ ו unam tantum grammaticam significationem, vim scl. sequentia cum antecedentibus copulandi, tribuere. Ita enim ille: „ו copulativum varias significationes habere dicitur, quia & eæ augentur pene in infinitum, quo vel solo refutatur illa sententia. Dicendum potius fuit ו grammatice nihil magis per se significare quam *&* Ebræosque audientes ו, eo tantum moneri conjungenda esse sequentia cum præcedentibus, at modo conjunctionis eorum non designato. Modus autem ille quisnam esset, intelligi debuit ex serie sermonis, rerumque antecedentium ac posteriorum naturis ac relatione ad se invicem, quatenus eæ aliunde quam ab hac particula ו innotuerunt, ita ut qui ו aliter quam per *&* exponit, suam interpretationem probare debeat." Et postquam notavit linguas recentiores efformasse alias

particulas diversorum conjunctionis modorum significativas, iisque pro rerum indole, in sermone connectendo, pro-
„priis locis uti; addit: Traduntur ergo varii illi usus per
„accidens tantum, & respectu quodam externo, nempe in
„ordine ad alias linguas, & ad interpretes juvandos, ut
„pro ו eam particulam substituant, quam quis lingua ista
„extera sermonem faciens tali loco positurus fuisset.
„Cumque hoc pacto simplicissimæ vi conjunctivæ ipsius ו
„aliqua alia notio superadditur, agnoscendum est, non sic
„meram versionem fieri, sed paraphrasin velut atque com-
„mentarium compendiosum. In nostro loco ו vim connectendi habere, ac commode per & verti posse, ex contextu luculenter satis elucescit. Ad quem magis exprimendum conjunctioni copulativæ particulam *tandem* adjici, atque vocem וְהָיָה *tandemque* (in vita æterna) *erit*, verti posse B. SEB. SCHMIDIVS *Comment. in h. l. p. 617.* haud inepte judicat. Non modo autem litera ו copulandi vim heic habet, sed insuper præteritum הָיָה in futurum convertit, cum de re futura, perpetuarum scl. feriarum in cœlo celebratione, ut in altera sectione ostendetur, noster locus agat.

§. II.

מִדֵּי Circa hujus vocis naturam & significationem videas viros eruditos in diversas abire partes: Quidam enim pro simplici, alii vero pro composita eandem habent. Qui priorem sententiam amplectuntur, illis מִדֵּי est nomen plurale in statu regiminis a singulari מַד quod mensuram denotat, atque descendit a radice מָדַד mensuravit, dimensus est. A qua opinione non alienus est immortalis famæ

Phi-

Philologus ac Theologus, B. CARPZOVIUS, quando *in Concionibus Jesaianis part. 4. pag. 325.* verba: וְהָיָה מִדֵּי־חֹדֶשׁ בְּחָדְשׁוֹ וּמִדֵּי שַׁבָּת בְּשַׁבַּתּוֹ׃ germanice vertit: **Es werden seyn die Abmessungen oder Abzehlungen, „ der Monden in seinen Monden, und die Abmessungen oder „ Abzehlungen der Sabbathe in seinem Sabbath, das ist, „ es wird ein Neumond an den andern, ein Sabbath an den „ andern stossen. „** Qui vero posteriori sententiæ accedunt, & vocem מִדֵּי ex præfixo מִן & voce דֵּי compositam asserunt, illorum non unam mentem esse observamus. Nonnulli enim existimant דֵּי esse nomen plur. constructum a singulari דַּי, quod sufficientiam denotat, adeoque verba hebræa paulo ante citata reddunt: *& erit ex sufficientia „ mensis in mense suo, & ex sufficientia Sabbathi in Sabba- „ tho suo;* „ sicuti in Midrasch Thillim *super Psalmum XC, 15.* B. CALOVIO *Bibl. illustr. in h. l. Tom. 2. pag. 385.* allegante, hæc interpretatio occurrit. Nonnulli vero דֵּי in præsenti loco particulam saltim expletivam esse judicant, eique nullam significationem tribuunt. Cui sententiæ plurimos interpretes favere animadvertimus, dum cum SEB. SCHMIDIO מִדֵּי per *de*, vel cum LXX. & Vulgata *ex* vertere amant. Nec ab ea præstantissimi Lexicographi recedunt opinione, qui particulæ דֵּי usum expletivum probaturi ad hunc nostrum locum provocare haud verentur. Vide BUXTORF. *in Lex. Hebr. & Chald. pag. 140.* PAGNINUM *in Thesauro Linguæ S. p. m. 55.* FORSTERUM *in Dictionario Hebraico p. 170.* Neque nobis illa displicet sententia, cum nulla urgeat necessitas, ut in voce מִדֵּי statum constructum asseramus, illamque reddamus *ex* sufficien-

tia,

tia, vel nomine *menſuræ* exprimamus; Imo clarius evadet ſenſus ſi מִדֵּי per ſolam præpoſitionem *de* vel *ex* interpretamur: cum admodum frequens etiam particulæ דֵּי uſus expletivus in Codice ſacro eſſe ſoleat. Inprimis *1. Sam. VII, 16. 2. Chron. XXIV, 5. Zach. XIV, 16.* ubi occurrit מִדֵּי שָׁנָה בְּשָׁנָה *ab vel de anno in annum*: ſic alibi quoque particula iſta uſu expletivo gaudet, v. g. *Judic. VI, 5.* כְּדֵי־אַרְבֶּה ſicut locuſtæ: *Jerem. LI, 58.* בְּדֵי־רִיק *in vanum ſeu fruſtra.* Plura exempla FORSTERVS loco paulo ante citato ſuppeditabit. Inter quæ autem vocem מִידֵי *Pſ. CXLI, 9.* minus commode refert. Nam מִידֵי non ex præfixo מִן & particula expletiva דֵּי ſed ex מִן & voce conſtructa plur. num. יְדֵי componitur. Unde SEB. SCHMIDIVS verba illa מִידֵי פַח recte vertit *ex manibus*, i. e. *a vi & poteſtate laquei.* Solet enim vox יָד, quæ proprie manum denotat, metaphorice pro vi ac poteſtate accipi, eo quod magna ſit virtus & potentia in manibus, & per eas homo ſit operoſus & efficax. In quo ſenſu etiam vox eadem occurrit *Job. V, 20.* Ubi dicitur quod Deus hominem in bello מִידֵי חֶרֶב e manibus gladii ſit redemturus.

§. III.

חֹדֶשׁ, duplicem vocis hujus ſignificationem in Scriptura S. deprehendimus. Aliquando enim vi radicis ſuæ חָדַשׁ innovavit, idem notat ac novilunium, ab innovatione ſic dictum, quia tunc luna quaſi renovatur, & novum lumen a ſole accipit, eodemque nomine primus cujuslibet menſis dies apud Judæos inſignitur, quem Romani Calendas vocare ſolebant. Quo ſenſu vocem hanc *1. Sam. XX, 5.* item *Oſ. V, 7.* aliisque in locis, quorum aliqua adhuc paulo poſt citabo,

citabo, usurpatam videmus. Nonnunquam vero per synecdochen totius mensis spatium hoc nomine indicatur. Qua in notione *Gen. XXIX, 14. Exod. XII, 2.* atque alibi sæpius occurrit. Posteriori huic significationi præferendam hic esse priorem, ipse contextus suadet. Etenim ex aliis Scripturæ S. locis constat, per nomen חֹדֶשׁ, quando cum voce שַׁבָּת & aliis diebus jungitur, non integrum mensem, sed novilunium, seu primum mensis diem, qui item festus erat, significare. v. g. *2. Reg. IV, 23.* Quare tu abis ad eum (scil. Prophetam) hodie, non חֹדֶשׁ novilunium est, neque Sabbathum. *Ezech. XLV, 17.* super Principe autem erit; holocausta, & mincha & libamen, in festis, וּבֶחֳדָשִׁים & in noviluniis, & in sabbathis. *Amos. VIII, 5.* Quando transibit חֹדֶשׁ novilunium, ut vendamus frumentum, vel Sabbathum, ut aperiamus triticum. Confer *Es. I. 13. seq. Hos. II, 11.* Non immerito itaque, cum in nostro etiam loco Esaias חֹדֶשׁ & שַׁבָּת conjungit, indicaturus, in cœlo perpetuas fore ferias, per prius æque ac posterius nomen intelligimus diem cultui divino sacrum.

§. IV.

Novilunia autem, seu, ut Græcis appellantur, Neomeniæ, quæ cultui divino consecratæ erant, a SPENCERO *de LL. Hebr. ritualibus l. 3. Differt. 4. in præfat. p. m. 187.* in Neomenias communes seu menstruas, & speciales seu annuas dividuntur, atque per illas, quæ initio singulorum mensium excepto septimo; per has vero, quæ primo mensis septimi die celebrabantur, intelliguntur: Ast alii Scriptores Festum neomeniarum annuarum cum GODWINO *in Mose & Aarone L. 3. cap. 7.* & LVNDIO *in antiquis rebus*

tia, vel nomine *mensuræ* exprimamus; Imo clarius evadet sensus si מִדֵּי per solam præpositionem *de* vel *ex* interpretamur: cum admodum frequens etiam particulæ דֵּי usus expletivus in Codice sacro esse soleat. Inprimis *1. Sam. VII, 16. 2. Chron. XXIV, 5. Zach. XIV, 16.* ubi occurrit מִדֵּי שָׁנָה בְּשָׁנָה *ab vel de anno in annum*: sic alibi quoque particula ista usu expletivo gaudet, v. g. *Judic. VI, 5.* כְּדֵי־אַרְבֶּה sicut locustæ: *Jerem. LI, 58.* בְּדֵי־רִיק *in vanum seu frustra.* Plura exempla FORSTERVS loco paulo ante citato suppeditabit. Inter quæ autem vocem מִידֵי *Ps. CXLI, 9.* minus commode refert. Nam מִידֵי non ex præfixo מִן & particula expletiva דֵּי sed ex מִן & voce constructa plur. num. יְדֵי componitur. Unde SEB. SCHMIDIVS verba illa מִידֵי פַח recte vertit *ex manibus*, i. e. *a vi & potestate laquei.* Solet enim vox יָד, quæ proprie manum denotat, metaphorice pro vi ac potestate accipi, eo quod magna sit virtus & potentia in manibus, & per eas homo sit operosus & efficax. In quo sensu etiam vox eadem occurrit *Job. V, 20.* Ubi dicitur quod Deus hominem in bello מִידֵי חֶרֶב e manibus gladii sit redemturus.

§. III.

חֹדֶשׁ, duplicem vocis hujus significationem in Scriptura S. deprehendimus. Aliquando enim vi radicis suæ חָדַשׁ innovavit, idem notat ac novilunium, ab innovatione sic dictum, quia tunc luna quasi renovatur, & novum lumen a sole accipit, eodemque nomine primus cujuslibet mensis dies apud Judæos insignitur, quem Romani Calendas vocare solebant. Quo sensu vocem hanc *1. Sam. XX, 5.* item *Os. V, 7.* aliisque in locis, quorum aliqua adhuc paulo post citabo,

citabo, usurpatam videmus. Nonnunquam vero per synecdochen totius mensis spatium hoc nomine indicatur. Qua in notione *Gen. XXIX, 14. Exod. XII, 2.* atque alibi sæpius occurrit. Posteriori huic significationi præferendam hic esse priorem, ipse contextus suadet. Etenim ex aliis Scripturæ S. locis constat, per nomen חֹדֶשׁ, quando cum voce שַׁבָּת & aliis diebus jungitur, non integrum mensem, sed novilunium, seu primum mensis diem, qui item festus erat, significare. v. g. *2. Reg. IV, 23*: Quare tu abis ad eum (scil. Prophetam) hodie, non חֹדֶשׁ novilunium est, neque Sabbathum. *Ezech. XLV, 17*: super Principe autem erit; holocausta, & mincha & libamen, in festis, וּבֶחֳדָשִׁים & in noviluniis, & in sabbathis. *Amos. VIII, 5*: Quando transibit חֹדֶשׁ novilunium, ut vendamus frumentum, vel Sabbathum, ut aperiamus triticum. Confer *Es. I. 13. seq. Hos. II, 11.* Non immerito itaque, cum in nostro etiam loco Esaias חֹדֶשׁ & שַׁבָּת conjungit, indicaturus, in cœlo perpetuas fore ferias, per prius æque ac posterius nomen intelligimus diem cultui divino sacrum.

§. IV.

Novilunia autem, seu, ut Græcis appellantur, Neomeniæ, quæ cultui divino consecratæ erant, a SPENCERO *de LL. Hebr. ritualibus l. 3. Dissert. 4. in præfat. p. m. 187.* in Neomenias communes seu menstruas, & speciales seu annuas dividuntur, atque per illas, quæ initio singulorum mensium excepto septimo; per has vero, quæ primo mensis septimi die celebrabantur, intelliguntur: Ast alii Scriptores Festum neomeniarum annuarum cum GODWINO *in Mose & Aarone L. 3. cap. 7.* & LVNDIO *in antiquis rebus*

Judæorum sacris L.5. c.17. nomine Festi Buccinarum seu tubarum insignire malunt, atque observant, quod Judæi in aliis noviluniis præter oblationes quotidianas Juvencos subrumos binos, arietem unum, agnos anniculos septem integros, una cum ipsorum מִנְחָה munere frumentaceo, & נֶסֶךְ libamine, & hirco peccati juxta *Numer. XXVIII, 11. seq.* obtulerint: In Novilunio autem, non modo omnes dictas oblationes, sed alia insuper sacrificia Deo offerre debuerint: *Numer. XXIX, 1. seqq.* Præterea notat GODWINVS *l.c. §. 4.* quod in isto Novilunio buccinas ab aurora ad solis occasum inflaverint; in aliis Noviluniis autem buccinis non clanxerint. Circa rationes, ob quas ingens adeo buccinarum clangor in septimi mensis primo die obtinuerit, assignandas, scriptores admodum variant. Cui curæ est, illas cognoscere, adeat modo citatos Autores, inter quos GODWINVS *l.c. §. 6.* trium, LVNDIVS autem *l.c. c.17. §.13.* plurium adhuc mentionem injicit. Consuli etiam possunt R. MOSIS MAIMONIDÆ *Tractatus de Consecratione Calendarum cap. I. pag. 341.* JONSTONIVS *de festis cap. II. pag. 6.* PETRI RAVANELLI *Bibliotheca sacra sub voce Novilunii*, BVXTORF. *in Synagoga Judaica cap. 24. p. m. 433. sq.* QVENSTEDTIVS *in Antiquitat. Biblic. cap. X. Num. III. p. 833.* B. PFEIFFERVS *in Dissertat. de Festis Ebræorum cap. II. & alii.* Festa Neomeniarum a DEO ortum suum habere, licet constans Judæorum pariter ac Christianorum sit sententia, ab illa tamen discedere non veretur Spencerus, statuens, neomenias menstruas pariter atque annuas, ut ab ipso vocantur, ab Ethnicis ad Judæos derivatas supremum Numen tolerasse, correctisque pravis ritibus

ritibus ac ceremoniis, quæ in Gentilium neomeniis obtinebant, ad nominis sui cultum transtulisse. Quam suam opinionem *lib. cit. differt. 4. cap. 1. & 2.* operose admodum probare, atque insimul, quæ eidem adversantur, magno studio diluere conatur. Non vacat ejusdem sententiam debita cura excutere, cum de neomeniarum origine ex instituto agere nostri non sit instituti, id tantum paucis monere juvabit festum neomeniarum annuarum sive Buccinarum a Deo institutum esse, in Scriptura Sacra clarissime tradi. Etenim *Lev. XXIII, 23. seqq.* hæc leguntur verba: *Et locutus est Jehova ad Mosen, dicendo: Loquere ad filios Israëlis, dicendo: In Mense septimo, in prima die mensis erit vobis Sabbathum, memoriale vociferationis, convocatio sanctitatis. Ullum opus operæ non facietis: Offeretis autem ignitum Jehovæ. Confer Num. XXIX, 1. seqq. & Ps. LXXXI, 4.* Quamvis autem de menstruarum neomeniarum festo religiosa solennitate observando expressum Dei mandatum in codice sacro haud occurrat, sed saltim legem specialem de victimis, quas festo isto Deus sibi offerri jussit, *Num. XXIIX, 11. seqq.* reperiamus, inde tamen minime inferre licet, festum istud a Deo originem suam non habere: perinde ac male quis colligeret, sacrificia Patriarcharum ortum a Deo non habere, quod disertum illius mandatum, quo a Patriarchis sibi sacrificari voluit, in sacris literis ostendi nequeat; fideles enim ante Mosis ætatem divina auctoritate atque jussu sacrificia obtulisse, non modo a nostris sed Reformatæ religioni quoque addictis Theologis satis superque probatum fuit.

§. V.

Sicuti autem novilunia a gente Israelitica celebrari haud frustra voluit supremum Numen: Ita ob quas rationes noviluniorum celebratio fieri debuerit, non una eruditorum est sententia. CORNELIVS a LAPIDE *ad h. l. p m. 548.* duas in medium affert, asserens, factum id esse, *primo ob beneficium gubernationis divinæ: secundo, ut sicut frugum, ita etiam temporis & mensis primitias Deo dependerent.* B. LVNDIVS autem, *l. c. l. 5. c. 8. num. 25. p. 964.* primariam istarum solennitatum causam fuisse putat, ne Israelitæ temporum & mensium vicissitudines instar Gentilium astris ac planetis adscriberent, sed potius venerarentur Deum tanquam causam principalem omnium, quæ tempori accidunt, vicissitudinum, cum ipsa Scriptura Sacra *Dan. II, 21.* testatur, a Deo tempora & ætates mutari. Sicuti etiam extra omnem controversiam positum est Novilunia futura quædam portendisse, cum id ipse Paulus disertis verbis indicat *Col. II, 16. 17.* inquiens: *Ne igitur vos quis judicato in cibo aut potu, aut in parte festi, aut noviluniis, aut Sabbathorum, quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi:* Ita ab aliis alia quæ Noviluniorum celebratione designata fuerint, in medium afferri solent. LVNDIVS *l. c. num. 31. p. 965.* non male judicare videtur, Neomeniam typum Christi fuisse. Plura, quæ Neomenia designata fuerint, exhibet REIZIVS *not. 1. ad Godwin. Mos. & Aaron l. 3. c. 7. num. 2. p. 274.*

§. VI.

מִדֵּי שַׁבָּת בְּשַׁבַּתּוֹ de particula מִדֵּי cum superius a nobis satis actum fuerit, non est ut amplius aliquid addamus.

mus. Progredimur itaque ad vocem proxime ſequentem שַׁבָּת de qua multa in disquiſitionem vocari ſolent. Disquiri enim videas, cujus generis ſit hoc nomen. Inter doctores Judæorum haud vulgaris eruditionis R. Aben Eſra *Comment. ad Exod. XIV, 23.* nomen fœmininum ex שַׁבָּתֶת ut אַחַת ex אַחֶרֶת contractum eſſe affirmat. GVSSETIVS autem poſtquam in *Comment. Hebr. Lingu. p. 826. ſeq.* oſtendiſſet (α) ab Aben Eſra diſpar exemplum afferri, cum שַׁבָּת habeat kametz in ultima extra regimen, niſi quod ſemel bisve ſcilicet *Num. XXVIII, 10.* & *1. Chron. IX, 32.* in ſtatu abſoluto habeat Pathach, in quibus locis tamen aliqua occaſio imitandi conſtructi data fuerit (β) demonſtraſſet שַׁבָּת cum maſculino genere *Eſ. LVI, 2. & 6.* nec non *LVIII, 13.* jungi; ſtatuendum judicat שַׁבָּת eſſe ſubſtantivum, ut ejusdem formæ eſt קָהָל, צַוָּאר, & quanquam omnia alia ſint maſculina, hoc tamen generis communis eſſe, aſſerit. Quod autem ſubſtantivum ſit, ex plurali שַׁבָּתוֹת cum nihil tale adjectivis conveniat, evincere intendit, & quia paulo ante jam corroboravit, hoc nomen cum maſculino jungi, illud quandoque fœmininum eſſe ex *Levit. XXIII, 16. & 15. XXV, 8.* probat, ſubjungens, ſe plura exempla, quod fœmininum ſit, non reperire.

§. VII.

Ad originem autem ipſius vocis quod attinet, multi circa eam indagandam errarunt. Hallucinatur α) Plutarchus, qui natales hujus vocis non obſcure Græcis tribuit, eo quod multi Bacchos dicere ament Sabbos *Sympoſiac. Libr. IV. quæſt. V.* Bacchus autem id nomen traxiſſe videtur non quidem a Sabis gente Thraciæ, ut exiſtimat NICO-

LAVS LLOYDI *in Dictionario Histor. poëtico sub voce Sabbathi*, provocans ad EVSTATH. *in Dionys. perieget.* sed potius ab Ebræo סָבָא quod LXX. vertunt οἰνοφλυγεῖν, h. e. vino se ingurgitare *Devt. XXI, 20. Es. LVI, 12.* Hinc סֹבֶא sicera aut vinum. Inde σαβάζειν Hesychius exponit εὐάζειν, βακχεύειν & σάβος, βάκχεια. quemadmodum & ipse Bacchus σαβάζιος dicitur. Vid. HEINS. *Aristarch. Cap. I. p. 705.* LORIN. *in Comment. ad Acta Apost. Cap. I, 12. & XIII, 12.* BEYERVS *in Additamentis ad Seldeni Libr. de Diis Syris p. 76.* β) Errat Apion, qui a σαββῶ derivare cupit, quod vocabulum, teste eodem Apione apud Josephum *Libr. II. contra Apion. p. 1062.* Ægyptiis notat inguinum morbum, perinde ut vocabulum σαββάτωσις eundem significat. Prætendit scil. Apion, Judæos ex itinere sex dierum istum morbum sibi contraxisse, adeoque septimo die, quo terram Judaicam attigerunt, quievisse, quem diem, retenta voce Ægyptiaca, Sabbathon vocaverint. γ) Impingit etiam Perottus, qui duplex adducit etymon, unum ad *Martial. Epigramm. III. p. 411.* Sabbathum, dies est septimus apud Judæos festus, quorum lingua Sabe septem significat, digitum intendens in Hebr. שֶׁבַע, in quo præeuntem habet Lactantium, qui eandem defendit sententiam *Libr. VII. de vita beata cap. 14. p. m. 837.* Alterum *ad Epigr. X. p. 609.* profert, scribens: ,,*Sabba Arabum lingua mysterium dicitur, a quo ipsi Sabba-* ,,*tha nominarunt.* Cœterum quantopere hi allegati autores extra oleas, quod est in proverbio, vagentur, nodumque in scirpo quærant, non est ut multis demonstremus. שַׁבָּת enim origine Hebræum est vocabulum, idque a radice שָׁבַת cessavit, quievit, descendere, non tantum conve-

nientia

nientia literarum manifeste docet, sed ex *Genes. II, 3.* luculenter etiam constat.

§. VIII.

Usurpatur autem ea vox diversimode in Sacris, nec parvæ sunt doctorum virorum de quibusdam ejus notionibus contentiones. Ita quibusdam putatur significare quodvis festum, quo ex mandato Dei Judæi tenebantur a profanis operibus quiescere, sive in septimam sive in aliam diem incidebat, secundum *Levit. XXIII, 32.* vid. SIGON. *de Republ. Hebr. Libr. III. c. VII. p. 629.* quod tamen impugnat GUSSETIUS *in Comment. Hebr. Lingv. p. 829.* Dein sumi dicitur in plurium dierum festo, peculiariter pro prima & ultima die illius totius festi, quorsum allegatur *Luc. VI, 1.* Quidam & poni existimant Synecdochice pro omnibus illis septem diebus, a quolibet hebdomadæ die inchoatis, quorum ultimus dicatur Sabbathum, qua de re disputari solet ad *Lev. XXIII, 15. 16.* quo loco septem pentecostes septimanas a postridie paschatis in quemcunque diem inciderit, hoc festum numerari debere contendunt; vid. SIGON. *de rep. Hebr. Libr. III. c. 3. p. 628.* Notandum autem est cum Magnifico Viro Dn. D. RECHENBERGIO in *Hiero-Lexic. p. 448*, quod apud Judæos dies a Sabbatho numerati pariter ac dicti fuerint Sabbathum. Hinc Hebdomadam a primo die, qui apud nos est dies solis, inchoabant, quem primum Sabbathi dicebant, secundum, quem vocamus diem Lunæ, appellabant diem secundi Sabbathi, & ita ordinarie usque ad sextum, quem & עֶרֶב הַשַּׁבָּת vesperam Sabbathi vocabant, ut nunc יום נוֹצרי diem Nazarenorum sive Christianorum, ipsam hebdomadam finiebant die Sabbathi.

bathi. Et ex hac ratione Sabbathum pro hebdomade sæpius saltem in dictis N. T. usurpatur. e. g. *Luc. XVIII, 12.* vide de ista re prolixius differentem JOH. LIGHTF. *Hor. Ebr. in Matth. XXIIX, 1.* JOH. GEORG. PRITIVM *in Introd. in Lect. N. T. c. 44. §. 6.* Aliter Sabbathi vox adhibetur *Lev. XXV, 3. 4.* de Sabbatho scil. terræ, sive anni, ubi Deus Israelitas jubet tantum sex annis colere terram, & septimo eam otiosam incultamque relinquere, quo ea etiam suum Sabbathum & suam quietem haberet. Contra hanc vocis notionem disputat GVSSETIVS, quem vide *l. c.* De quo Sabbatho, quod in septimum quemque annum incidit, nec non de eo, quod juxta nonnullos anno quadragesimo nono, juxta alios vero anno quinquagesimo a Judæis celebrari debuit confer. Dn. Præsidis *disputat. de Jubilæo cap. II.* THOM. GODWIN. *Mos. & Aar. Lib. III. c. 9. de anno Sabbathico seu quiete Septennali p. 301.* Quemadmodum de his aliisque V. T. festis antiquitatum Sacrarum & Judaicarum scriptores consuli merentur, inter quos locum haud ultimum obtinent SIGON. *de republ. Hebr. Lib. III. c. 15. p. 636.* MASIVS *in Josuæ VI.* SPANHEMIVS *in Chronol. Sacra part. I. cap. 16. p. 82.* Ejusdem *histor. Christ. secul. II. n. 4. p. 616.* LEIDEKK. *de rep. Hebr. Tom. I. Libr. 9. c. 2. p. 537. - 541. id. Lib. V. c. 12. p. 314. 317. 320. seqq.* RIBERA *de templo Lib. V. per tot.* RHELANDVS *antiqq. Sacr. vet. Hebr. part. IV. c. 8. §. 4.* ARND. *Lexic. antiqq. Eccles. p. 398.* PETR. RAVANELL. *Biblioth. sacr. p. 287. 605.* plures aliæ notiones in sacris literis Sabbathi nomine indicatæ recensentur in Lexicis, quarum autem longiori atque ulteriori recensione merito supersedemus, cum MATTHIAS FLA-

CIVS in Clavi Scripturæ S. laborem istum jam in se susceperit, atque *sub voce Sabbathi p. 1079.* prolixe satis varium istius vocis usum ex S. Scripturæ locis ostenderit. Quocunque modo autem circa notiones illas se res habeat, neque enim nostri jam instituti est in istam arenam descendere, hoc saltem certissimum est, vocem שַׁבָּת significare communiter Sabbathum hebdomadarium, qui est dies ille septimus s. ultimus *Exod. XX, 10. 11.* & κατ' ἐξοχὴν ob maximam recursus sui frequentiam Sabbathi voce intelligitur. Et ab ultimo hoc & primario septimanæ die septimana ipsa, omnesque ejus dies, uti jam notavimus, synecdochice hoc nomine fuerunt appellati. vid. QVENST. *Antiqq. Bibl. c. 10. de temporibus sacris s. festis Hebræorum veterum p. 826. seq.*

§. IX.

Observandum autem insuper venit, quod Sabbathi vocem ipsi gentiles sæpius in scriptis suis usurpare soliti fuerint. Notum enim est diei septimi memoriam tanquam solemnis apud eosdem gentiles passim occurrere, unde forte colligas licet, quando ipsi vocabulum *Sabbathi* adhibent, eos hac voce in ea notione uti, qua diem septimum denotat. Ita enim, referente CASAVBON. *ad Sveton. Tib. Ner. cap. 32.* septimi diei observationem increbuisse ex Judaico ritu, Josephus testatur, ut neget urbem ullam aut Græcorum aut Barbarorum h. e. non-Græcorum posse reperiri, quæ cessationem ab opere diei septimi in suos mores non recepisset. Insignis plane locus, ideoque verba ipsius proferam: Non est civitas Græcorum usquam aut Barbarorum, nec ulla gens ad quam septimanæ, in qua vacamus

mus consuetudo minime pervenerit. Hæc ille *Lib. posteriore contra Apion. p. 1081.* Eadem observatio diei septimi servata etiam fuit in aliis rebus. VULCATIVS GALLICANVS *in Avidio Cassio* ita scribit: Exercitium septimo die fuit omnium militum, ita, ut sagittas mitterent & armis luderent: vid. Scriptores *Hist. August. edit. Paris. de anno 1620. cap. 43. p. 42.* LAMPRIDIVS in Alexandro Severo: *Capitolium septimo die, cum in urbe esset, ascendit, templa frequentavit: vid. lib. cit. p. 1.* Plura loca quæ huc facere videntur adduxit CASAVB. *l. c.* vid. LVCIANVS *in Pseudologista opp. Tom. 2. p. m. 440.* CLEMENS ALEXANDR. *Strom. 5. p. m. 600.* EVSEBIVS *Lib. XIII. præpar. Evang. cap. VII. p. 677.* HERALDVS *ad Tertul. Apolog. cap. XVI.* RIVETVS *exercitat. in Genes. II.* Ad hæc loca citata conf. BVDD. *exercitat. de pietate philosoph. & religione natur. §. 42.* Utcunque autem hoc sit, illud interim certum est, Ethnicos Judæorum Sabbatha contemptui ac ludibrio habuisse secundum Ecclesiæ querimoniam *Thren. I, 7.* Viderunt eam Hierosolymam inimici ac Sabbatha ejus derisere. Seneca *apud Augustinum Lib. 6. de Civit. Dei c. 11.* Judæis vitio vertit, quod septimam ætatis suæ partem *otiando* perderent. Juvenalis quoque *Satyr. XIV. v. 105.*

- Cui septima quæque fuit lux
Ignava, & partem vitæ non attigit ullam.

Idem Satyr. VI. v. 158.

Observant ubi festa mero pede Sabbatha reges.

Tacitus *Lib. V. Histor. c. 4. Septimo die otium placuisse ferunt;* quia is finem laborum tulerit, *dein blandiente inertia, septimum quoque annum ignaviæ datum.* CLAVDIVS RVTILIVS *Itiner. Lib. I. v. 389.* Radix

Radix stultitiæ, cui frigida Sabbatha cordi,
Sed cor frigidius religione sua est.
Septima quæque dies turpi damnata veterno
Tanquam lassati mollis imago Dei.

Ast cum Sabbathum, non quidem signi tantum loco, ut vult SPENCER. *de LL. Ebr. Rit. L. I. c. 4. sect. 7. p. 38.* sed præcipue cultus Divino Nomini solennius exhibendi ergo institutum fuerit, gentilium sarcasmos merito improbamus atque Sabbathum etiam in N. T. licet non eadem die, quo Judæi celebrant, observandum esse statuimus. Ut autem propius jam usum, quem vox ista nostro in loco obtinere videtur, attingamus, voce Sabbathi in sensu mystico Sabbathum perpetuum in vita æterna celebrandum s. æternitatis, ut alii vocant, intelligi censemus. Quem verum esse hujus vocis sensum, inferius suo loco demonstrabitur.

§. X.

Antequam autem vocum istarum considerationem dimittimus, nexus earundem grammaticus & constructio inquirenda paulisper venit, quæ in recessu aliquid habere videtur. Multa equidem cum clarissimo GVSSETIO de varia significatione τῦ ב, cujus *in Commentario suo Hebr. Linguæ pag. 108. seqq.* mentionem injicit, pro diversa nimirum cum aliis nominibus constructione atque combinatione, adnotare poteramus; quando nunc alia χέσις loquendo respicitur, nunc verbum cum nomine diversis modis, diversarumque particularum interventu, connectitur, ex qua sermonis aut orationis compositione variæ constructiones resultant, quarum exempla nimiæ operæ foret proferre longiusque recensere: sed cum loco nostro

ſtro nil lucis aut perſpicui ſenſus decedat, ſive in aliis locutionibus biblicis hac ſive alia ratione ponatur atque uſurpetur, ad locum jam citatum doctiſſimi Guſſetii provocaſſe nobis ſufficiat. Hoc interim nulla probatione indigere putarem, quod præpoſitio ב noſtro in loco, cum de accumulatione Feſtorum omni tempore celebrandorum ſermo inſtituatur, ita ut Neomenia ſeu Sabbathum unum excipiat alterum per *in* reddi poſſit. Quæri autem poterat, num illud *in* regere debeat accuſativum vel ablativum, numque adeo dicendum ſit: *in Neomeniam ſuam, in Sabbathum ſuum*, an vero: *in Neomenia ſua, in Sabbatho ſuo.* Prius exin probabile videtur, quia τὸ ב relativum eſt ad מִדֵּי, & ſicuti iſtud terminum temporis a quo, ita ב terminum ad quem ſignificare videtur, qui Latinis in caſu quarto effertur: a Neomenia in Neomeniam, *a Sabbatho in Sabbathum;* Poſterius autem probabile fit ex eo, quoniam dicitur בְּחָדְשׁוֹ & בְּשַׁבַּתּוֹ cum affixo, quæ ſtructura ſermonis fere videtur requirere, ut tempus, in quo aliquid peragitur, intelligamus. Et ſane cum nuſpiam, quantum nobis quidem conſtat, ſimilis loquendi ratio in ſacris recurrat, ubi cum iſta particularum ſtructura, ſimul affixum ו junctum inveniatur, mirum non eſt, ſi in diverſa diſcedant Commentatores & interpretes. Quidam enim cum B. BRENTIO *Comment. in h. l. Opp. Tom. 4. p. 867.* voces iſtas vertunt *in Neomeniam ſuam & Sabbathum ſuum;* & cum B. SCHMIDIO: *in menſem ſuum & Sabbathum ſuum.* Quamvis ipſe *Comm. in h. l.* voces has in ablativo quoque exhibeat. Nonnulli autem cum COCCEJO *in h. l. Opp.*

Tom.

Tom. 2. p. m. 436. ea reddunt: *in novilunio suo, in Sabbatho suo.* Multi Interpretum nullam suffixi in versione sua habuerunt rationem. Septuaginta enim vertunt: ἔςαι μὴν ἐκ μηνὸς καὶ σάββατον ἐκ σαββάτε. Chaldæus item reddit: Et erit tempore initii mensis in mense, h. e. tempore Novilunii per Novilunium; & in tempore Sabbathi per Sabbathum. Cujus mens juxta VITRINGAM *in h. l. part. post. Comment. in Esaiam pag. 934.* ea videtur fuisse: a quo „ luna nova affulserit per Novilunium totum, & a quo Sab- „ bathum cœperit, phrasi Luc. XXIII, 54. ἀφ' ὗ τὸ σάββατον „ ἐπέφωσκε, Sabbathum illucescebat, h. e. accensis ritu Ju- „ dæo lampadibus per Sabbathum totum. Nec non Vulgatæ versionis autor transfert: erit mensis ex mense, & Sabbathum ex Sabbatho. Hi itaque interpretes ו in textu nostro abundare putarunt, cum in simili locutione, ubi מִדֵּי & ב conjungitur, illud omittatur, uti *1. Sam. VII, 16.* & *2. Chron. XXIV, 5.* In loco priori dicitur, quod Samuel iverit מִדֵּי שָׁנָה בְּשָׁנָה de anno in annum, seu quotannis, ad populum Israëlis judicandum: in posteriori sacerdotes & Levitæ jubentur colligere ab omni Israële argentum, ad confirmandum domum Dei de anno in annum. Nos uti sensui textus nihil decedere judicamus, sive quis verba מִדֵּי חֹדֶשׁ בְּחָדְשׁוֹ וּמִדֵּי שַׁבָּת בְּשַׁבַּתּוֹ *a novilunio in novilunium suum & a Sabbatho in Sabbathum; sive a novilunio in novilunio suo, & a Sabbatho in Sabbatho suo,* latine vertat: ita ו suffixum minime abundare, seu otiosum esse putamus, sed ad continuitatem festorum horum dierum magis magisque indicandum facere, atque adeo iisdem significa-

ri tempus totum, quod in vita æterna beati transigent, instar Novilunii & Sabbathi futurum esse.

§. XI.

יָבוֹא כָל־בָּשָׂר Nihil difficultatis in se habet ista locutio, quanquam enim verbum בָּא proprie significet motum corporis loco se moventis vel capedinem suam egredientis: tamen h. l. sicut omnia, quæ de *Neomeniis* & *Sabbatho* dicuntur, sensu tropico ac mystico capienda sunt; ita & ratio veniendi ad ista *Sabbatha* & *Neomenias* purganda est a crassioribus illis conceptibus, itinerum & viarum, e loco in locum, atque intelligenda hæc sunt pro ratione status, quem ibi describi hactenus supponimus quidem, infra autem probabimus. Qua ratione venire hoc loco nihil aliud erit, quam præsentem esse in πᾶσι electorum, in quo Deus perpetuo celebrabitur. Quod autem ad sequentes voces כָּל־בָּשָׂר attinet, vocabulum בָּשָׂר singulatim & absolute positum varias habet notiones; significat enim, (ut saltem quasdam, easque frequentiores demus) 1) partem corporis humani, pudenda scilicet *Gen. XVII, 23. Lev. XV, 3. Ezech. XVI, 26. XXIII, 20.* 2) totum corpus animæ oppositum *Lev. IV, 11. IX, 11. XXII, 6. Job. X, 11.* 3) hominem corpore & anima constantem *Es. XL, 5. Joel. II, 28. Jer. XVII, 5. Prov. XIV, 30.* 4) Quodvis animal, irrationale pariter ac rationale *Gen. VI, 13. Num. XXVII, 16. Ps. CXXXVI, 25.* Aliquando autem vox carnis indolem ac naturam hominis denotat, sic enim *Ezech. XI, 19. XXXVI, 26.* Cor carnis idem est ac molle, tractabile & tenerum

nerum oppositum cordi saxeo ad delicias carnales exercendas parato; contra vero *Gen. VI, 3.* Naturam humanam cum omni sua corruptione indicat, ut etiam *Ef. I, 5.* pro penitus infecta usurpatur. Vid. DANNHAVERVS *in Hodos. pag. 456. in tab.*

§. XII.

Quæ autem significatio vocis בָּשָׂר ex modo adductis, nostro in textu obtineat, non est ut multum disquiramus, circumstantiæ enim in eodem obviæ manifeste satis ostendunt, non nisi hominem per vocem illam hic intelligi posse. Nec obstat quod voci בָּשָׂר præmittatur particula כֹּל, quæ idem ac omnis, omne, significat, quandoquidem in aliis quoque Scripturæ locis sæpius per voces כָּל־בָּשָׂר non quævis animantia, rationalia pariter ac irrationalia, sed homines tantum intelliguntur. Notanter dixi sæpius, namque pollicem premere non possum GVSSETIO *l. c. pag. 155.* asserenti voces כָּל־בָּשָׂר quando nude & sine adjecto ponuntur, nunquam animalia bruta simul complecti, sed solos homines denotare; huic enim asserto vel solus locus *Ps. CXXXVI. 25.* reclamat, ubi verba illa sine adjecto ponuntur, neque tamen ad solos homines restringi possunt, cum Deus non tantum hominibus, sed & brutis escam præbere alibi in Scriptura Sacra perhibeatur, ut *Job. XXXIX, 3. Psalm. CXLVII, 9.* Ulterius observo sicuti signum universale in aliis linguis, ita etiam in Hebræa non eandem semper universalitatem innuere, sed modo pro singulis generum v. g. *Gen. I, 26. Exod. I, 22. Lev. XVI, 22.* modo pro generibus singulorum, uti *Gen. VI, 19. VII, 16. VIII, 17.* usurpatum legi. In nostro loco signum illud universale

versale כל non in priori, sed posteriori sensu accipi, nec omnia omnium gentium nationumque individua, sed quosdam ex omnibus gentibus ac nationibus homines indicari, in quo sensu & *Es. XL. 6.* occurrit, facile probari potest. Cum enim non omnes ac singuli homines ad vitam æternam aspirabunt, nec omnes ac singuli in eadem ferias perpetuas sunt celebraturi.

§. XIV.

Quamvis autem ex hisce satis patescat, per כָּל־בָּשָׂר non omnes ac singulos homines intelligi posse, minime tamen Kimchio concedimus, per istas voces solam gentem Judaicam designari. Ille enim, referente GUSSETIO *l. c. pag. 155.* probaturus verba *Joel. II, 28.* de sola gente Judaica accipienda esse, ad nostrum locum provocat. Sed uti apud Joelem loco citato, ubi Deus promittit se tempore novi Testamenti effusurum Spiritum suum super omnem carnem, non solus populus Judaicus intelligitur, sed varium hominum genus ex Judæis & gentilibus collectum indicatur: Conf. TARNOV. *in h. l. p. m. 83.* Multo minus in nostro loco per omnem carnem solus populus Judaicus intelligi poterit, sive Esaiæ de Regno gratiæ sive gloriæ sit sermo: Si de illo, nemo affirmare poterit solos Judæos ab Apostolis eorumque successoribus ad Regnum gratiæ fuisse vocatos, contrarium enim manifesto docet locus, *Marc. XVI, 15.* Si de isto, non soli Judæi, sed omnes homines, cujuscunque sint nationis, si modo credunt, regnum gloriæ intrabunt.

§. XV.

לְהִשְׁתַּחֲוֹת De forma hujus vocis nihil attinet prolixius

lixius commentari, notum enim eſt ex grammaticis, eam eſſe Infinitivum Hithpael a radice שָׁחָה, cujus tertia radicalis in Hithpael mutatur in ו & ſuperadditur aliud ה, qualis geminationis exemplum ſimile occurrit in נָאוָה a נאה notante Buxtorffio *ſub hac voce p. 793.* ubi ſimul refert eſſe quosdam, qui hac geminatione tertiæ radicalis geminam incurvationem indicari putant, corporis & animi, λατρείαν & δουλείαν, quam vocant. Sed cum hoc diſcrimen cultus evinci ex ſacris non poſſit, quia utrumque vocabulum promiſcue adhibetur, *Rom. I, 9. 1. Theſſ. I, 9. Matth. VI, 24. Hebr. XII, 28.* videtur hæc obſervatio pro luſu ingenii potius, quam vera ratione habenda eſſe. הִשְׁתַּחֲוָה autem, quod procubuit, proſtavit, incurvavit ſe, adorandi vel honoris exhibendi cauſa, ſignificat, a verbis cognatis קָדַד, כָּרַע, בָּרַךְ juxta Hebræos ita differt, ut קָדַד verticis inclinationem, כָּרַע capitis demiſſionem cum ſuperiore corpore usque ad genua, בָּרַךְ genuum flexionem denotet, obſervante Buxtorffio *ſub voce* בָּרַךְ *pag. 89.* Guſſetio autem *loco citato pag. 847.* τὸ הִשְׁתַּחֲוָה non corporis proſtrationem humi, niſi accedentibus aliis vocibus, ſed quamlibet corporis inclinationem ſignificat. Licet autem verbum illud tum de honore, qui hominibus exhibetur, tum de cultu, qui Deo præſtatur, in ſcripturis adhibeatur, ex iisdem tamen ſatis ſuperque conſtat, illos civili tantum, hunc autem religioſo cultu proſequendum eſſe, vid. *Deut. VI, 13. & Matth. IV, 10.* quod ut pluribus hoc loco probemus, haud opus eſſe videtur, cum Lutherani pariter ac Reformati Theologi contra Pontificios id jam ſatis demonſtrarint, Conf. Siricius in *Oſtenſione fundamentali abominationum Papatus*

circa

circa religiosum cultum creaturarum, Rostochii 1647. in 4to. Et Dalæus *in Tract. adversus Latinorum de cultus religiosi objecto traditionem Genevæ 1665. in 4to.* Qui de hoc argumento præ aliis evolvi merentur.

§. XVI.

לְפָנַי Nomen hoc plurale, quod à Rad. פָּנָה aspexit, respexit, derivatur, proprie faciem, adspectum, conspectum & quamlibet externam speciem significat, cui quando לְ præfigitur idem ac coram vel in conspectu notat, atque adeo idem est, quod Græcorum ἐνώπιον *Luc. I, 6. 15. 19. 75. Joh. XX, 30. Actor. II, 25. Rom. XIV, 22. 2. Cor. VIII, 21. Gal. I, 20. 2. Tim. IV, 1.* ἔναντι *Luc. I, 8.* ἐναντίον: *Marc. II, 12. Luc. XX, 26. XXIV, 19. Act. VII, 10. VIII, 32.* Huic voci cum in nostro textu accedat suffixum י, nihil aliud לְפָנַי notabit quam coram me, vel in conspectu meo. Summi Numinis vero conspectum hic innui ex verbis immediate sequentibus manifeste patet, quando Propheta addit אָמַר יְהוָה dixit Jehova. Ipse nempe Deus erit, coram quo in vita æterna ferias continuas electi celebrarunt, & bonorum cœlestium in secula nunquam terminanda participes erunt. Quamvis autem Judæi quoque suas neomenias & sabbatha coram Deo, cum ille ubique præsens sit, olim celebrarint ad istum tamen Dei adspectum, quo aliquando beati in vita æterna fruentur, non fuerunt admissi. Hi enim videbunt Deum a facie ad faciem, *1. Cor. XIII, 12.* Videbunt Deum sicuti ipse est, *1. Joh. III, 2.* In hoc seculo ambulant per fidem, in altero autem ambulaturi sunt per speciem: *2. Cor. V, 7.*

§. XVII.

§. XVII.

אֱמַר יְהוָה de his vocibus non eſt ut multa in medium afferamus. Quod enim verbum אָמַר idem ſignificet, quod dixit, locutus eſt, &, quando ad animum, qui cordis nomine in Sacra S. ſæpius exprimitur, referri ſolet, idem notet, quod cogitavit, propoſuit, ſtatuit, ſatis notum eſt De differentia autem hujus verbi a voce דִּבֵּר conſule Dn. D. Majum *Diſſert. ſacr. Loco V. p. 325. ſqq.* & cum eodem Dn. D. Rechenbergium *l. c. p. 447.* Voce יְהוָה ſummum, independens, abſolute perfectum Ens, Deum ſcilicet, indicari, illamque quando abſolute, in caſu recto & ſine addito reſtringente, diminuente & alienante ponitur, de nullo alio quam ſummo Numine in Codice ſacro uſurpari contra Socinianos, aliosque cœleſtis veritatis hoſtes a Theologis noſtris dudum evictum fuit. E quibus ad B. Calovii & B. Scherzeri, magnorum Eccleſiæ orthodoxæ olim luminum, ſcripta Anti Socianiana provocaſſe ſufficiat. De legitima hujus nominis pronunciatione confer integram exercitationum philologicarum decadem ab Hadriano Relando collectam & Trajecti ad Rhenum anno 1707. in 8. editam. Cui erudita B. Carpzovii de eodem argumento diſputatio, quæ in Diſputationum ab eodem habitarum & conjunctim anno 1699. editarum volumine octavum locum occupat, addi omnino meretur. Plura de hoc Dei nomine dabunt Autores, quibus de eodem ex inſtituto agere, vel de nominibus Dei in genere ſcripta publicare viſum fuit. Vocibus autem אֱמַר יְהוָה quæ etiam in duobus verſiculis *20.* & *22.* textum noſtrum antecedentibus aliisque Scripturæ locis haud raro occurrunt, ſumma eorum, quæ proponuntur, certitudo

circa religiosum cultum creaturarum, Rostochii 1647. in 4to. Et Dalæus *in Tract. adversus Latinorum de cultus religiosi objecto traditionem Genevæ 1665. in 4to.* Qui de hoc argumento præ aliis evolvi merentur.

§. XVI.

לִפְנַי Nomen hoc plurale, quod a Rad. פָּנָה aspexit, respexit, derivatur, proprie faciem, adspectum, conspectum & quamlibet externam speciem significat, cui quando ל præfigitur idem ac coram vel in conspectu notat, atque adeo idem est, quod Græcorum ἐνώπιον *Luc. I, 6. 15. 19. 75. Joh. XX, 30. Actor. II, 25. Rom. XIV, 22. 2. Cor. VIII, 21. Gal. I, 20. 2. Tim. IV, 1.* ἔναντι *Luc. I, 8.* ἐναντίον: *Marc. II, 12. Luc. XX, 26. XXIV, 19. Act. VII, 10. VIII, 32.* Huic voci cum in nostro textu accedat suffixum י, nihil aliud לְפָנַי notabit quam coram me, vel in conspectu meo. Summi Numinis vero conspectum hic innui ex verbis immediate sequentibus manifeste patet, quando Propheta addit אָמַר יְהוָה dixit Jehova. Ipse nempe Deus erit, coram quo in vita æterna ferias continuas electi celebrarunt, & bonorum cœlestium in secula nunquam terminanda participes erunt. Quamvis autem Judæi quoque suas neomenias & sabbatha coram Deo, cum ille ubique præsens sit, olim celebrarint ad istum tamen Dei adspectum, quo aliquando beati in vita æterna fruentur, non fuerunt admissi. Hi enim videbunt Deum a facie ad faciem, *1. Cor. XIII, 12.* Videbunt Deum sicuti ipse est, *1. Joh. III, 2.* In hoc seculo ambulant per fidem, in altero autem ambulaturi sunt per speciem: *2. Cor. V, 7.*

§. XVII.

§. XVII.

אמר יהוה de his vocibus non est ut multa in medium afferamus. Quod enim verbum אמר idem significet, quod dixit, locutus est, &, quando ad animum, qui cordis nomine in Sacra S. sæpius exprimitur, referri solet, idem notet, quod cogitavit, proposuit, statuit, satis notum est De differentia autem hujus verbi a voce דבר consule Dn. D. Majum *Dissert. sacr. Loco V. p. 325. sqq.* & cum eodem Dn. D. Rechenbergium *l. c. p. 447.* Voce יהוה summum, independens, absolute perfectum Ens, Deum scilicet, indicari, illamque quando absolute, in casu recto & sine addito restringente, diminuente & alienante ponitur, de nullo alio quam summo Numine in Codice sacro usurpari contra Socinianos, aliosque cœlestis veritatis hostes a Theologis nostris dudum evictum fuit. E quibus ad B. Calovii & B. Scherzeri, magnorum Ecclesiæ orthodoxæ olim luminum, scripta Anti Socianiana provocasse sufficiat. De legitima hujus nominis pronunciatione confer integram exercitationum philologicarum decadem ab Hadriano Relando collectam & Trajecti ad Rhenum anno 1707. in 8. editam. Cui erudita B. Carpzovii de eodem argumento disputatio, quæ in Disputationum ab eodem habitarum & conjunctim anno 1699. editarum volumine octavum locum occupat, addi omnino meretur. Plura de hoc Dei nomine dabunt Autores, quibus de eodem ex instituto agere, vel de nominibus Dei in genere scripta publicare visum fuit. Vocibus autem אמר יהוה quæ etiam in duobus versiculis 20. & 22. textum nostrum antecedentibus aliisque Scripturæ locis haud raro occurrunt, summa eorum, quæ proponuntur, certitudo

 indica-

indicatur. Etenim cum Deus ſit αὐταληθὴς & eſſentialis veritas, nemo ea, quæ ipſe effatur, ullo modo in dubium vocare poterit. Unde a Johanne exaudiebatur vox: Hæc verba Dei vera ſunt, *Apoc. XIX. 9.* item hæc verba (Dei) vera & fidelia ſunt, *Apoc. XXI, 5. & XXII, 6.*

SECTIO II.

§. I.

ENucleatis vaticinii noſtri Jeſaiani vocibus ad alteram ſectionem pedem promovemus, verum ejusdem ſenſum plenius expoſituri. Antequam autem id fiat, non abs re erit, aliorum quoque interpretum expoſitiones in ſcenam producere, & ſuper illis ad certas claſſes revocatis, mentem noſtram breviter aperire.

§. II.

Ad primam claſſem pertinent, qui noſtrum vaticinium ad tempora V. T. referunt: nonnullique eorundem tempora Cyri, Perſarum Regis, quibus Judæi ſacris publicis captivitate Babylonica interruptis iterum ſint vacaturi, Prophetam noſtrum reſpicere cenſent; alii autem Maccabæorum tempora, quibus ſacra publica Antiochorum ætate intermiſſa reſtituentur, ab Eſaia intimari autumant. Vide Varenium *Comm. in h. l. p. 497.*

§. III.

Ad iſtam ſententiam confirmandam ſi quis urgere velit in textu noſtro neomeniarum & ſabbathorum mentionem fieri, adeoque illum ad tempora V. T. omnino referendum

dum esse. Resp. (α) cum phraseologia מִדֵּי חֹדֶשׁ בְּחָדְשׁוֹ מִדֵּי שַׁבָּת בְּשַׁבַּתּוֹ continua Neomeniarum ac sabbathorum series, ut jam supra monitum fuit, innuatur, hæc autem neque post reditum ex captivitate Babylonica, neque Maccabæorum temporibus in Ecclesia Judaica obtinuerit, sed feriæ istæ certis ac determinatis diebus celebratæ fuerint, facile patet ad hæc tempora vaticinii nostri complementum minime spectare. (β) Voces, quibus feriæ Judæis usitatæ exprimuntur, non semper in sensu proprio, sed quandoque etiam in metaphorico ac mystico accipiuntnr. Hinc etiam Flacius *in Clav. Script. S. p.m. 1080.* recte observat, voce Sabbathi non modo externum, sed internum quoque ac spitituale hujus vel futuræ vitæ in Scriptura S. denotari, & utrumque a Paulo *Hebr. II, 9. 10. & 11.* perpetuum autem sabbathum aut Sabbatismum ab Esaia in textu nostro indicari statuit. Id quod ipsum infra plenius a nobismet exponetur. Nec porro allata interpretatio inde corroborari potest, quod in LXX. Interptetum versione Hierosolymæ fiat mentio, & omnis caro se incurvatura coram Deo ἐν Ἱερουσαλὴμ perhibeatur. Quemadmodum & hujus vocis Hieronymus *Comm. in h. l. opp. T. V. p. 217.* nec non Augustinus *de C. D. Lib. XXIX. c. 21.* verba textus nostri citantes, meminerunt. Cum enim hæc verba in textu avthentico non occurrunt, sed forsan occasione præcedentis commatis 20. in quo Hierosolymæ mentio injicitur, ab ipsis LXX. versioni suæ addita, vel a scribis e marginali glossa illi inserta fuerint, ex illis firmum argumentum neutiquam peti potest. Si vel maxime etiam additamenti harum vocum ἐν Ἱερουσαλὴμ habenda foret ratio, ex illo tamen firmum argumentum pro sententia §. 2. alle-

allegatum desumi haud posset, cum non satis constet, quo sensu, proprione an metaphorico, vocem Hierosolymam accipi voluerint; qui illam versioni græcæ inseruerunt. Nam si eadem cœlestem Hierosolymam, quemadmodum cœlum beatorum *Ebr. XII, 22.* a Paulo appellatur, ipsis intimare visum fuit, locus noster de sacris publicis genti Judaicæ olim restitutus, minime intelligi potest.

§. IV.

Alteram classem occupant, qui textum nostrum ad tempora N. T. revocant, sed qua de re agatur inter se non conveniunt.

§. V.

Petrus Cluniacensis contra Petrobrusianos sacrificium missaticum e loco nostro probare olim studuit, cum in eorundem omnis caro adoratura coram facie domini perhibeatur, idque in Missa fiat: Vid. Centuriat. Magdeb. *Cent. XII. c. V. p. m. 334.* Ast cum Dei adoratio absque oblatione Christi a fidelibus fieri queat, ab illa ad hanc N. V. C.

§. VI.

Ex recentioribus Pontificiis Sanchez citatus Cornelio a Lapide *Comm. in h. l. p. m. 547.* & Sanctius *Comm. in h. l. p. 734.* itidem ad Missam textum nostrum obtorto collo trahunt. Ita enim iste: Magis tamen propendeo in illorum sententiam, qui differentiam statuunt inter Synagogæ olim & tunc Ecclesiæ constituta sacrificia. Nam in antiqua lege definitis temporibus sacrificia quædam solenni ritu constituebantur; ut in Azymis, Pentecoste, Neomeniis & sabbathis: at in Ecclesia quotidie offertur sacrificium illud augustum & vivum quod antiquæ adumbrabant victimæ.

ctimæ. Ait ergo Dominus, in Ecclesia non exspectabitur,,
mensis initium, aut sabbathum, ut offeratur munus, sed,,
singuli dies Neomeniæ erunt & sabbatha, quæ non inter-,,
jecto tempore certis spatiis, sed perpetuo & continenti,,
tractu succedunt. Verum enim vero uti falso in citatis
verbis supponit Sanctius victimis olim Deo oblatis sacrificium missaticum, quod ipse augustum & vivum vocat, adumbratum fuisse: Ita falsum est, differentiam inter Synagogæ Judaicæ & Ecclesiæ Christianæ sacrificia in textu nostro innui, atque demonstrari sacrificium missaticum in N. T. singulis diebus offerri posse, cum in V. T. victimæ statis ac definitis temporibus offerenda fuerint. Plura addere plane supervacaneum esse existimamus, cum sacrificium Missæ a nostris pariter atque Reformatis Theologis jam diu argumentis invictis explosum fuerit. E quibus Dorschei & Mornaei de hoc argumento scripta in lucem edita & a B. Scherzero *in Syst. Loc. XV.* §. *16.* postquam ipse doctrinam de Missa solide refutavit, præ cæteris commendata evoluisse non pœnitebit.

§. VII.

Alii autem, qui itidem vaticinium nostrum ad tempora N. T. referunt, istud de cultu, quem aliquando omnium gentium fideles ad Ecclesiam Christianam aggregati summo Numini exhibebunt, exponere amant. Hos tamen in diversas partes abire videmus. Nonnulli enim oraculum nostrum de continuo cultu spirituali agere putant. In quam sententiam propendet purioris religionis restaurator, B. *Lutherus Scholiis in Proph. Esaiam Witteb. 1504. editis* scribens: Ritus quoque & festa Judaici sacerdotii mu-

tabo

„tabo. Non erit in Ecclesia distinctio sabbathi, sed perpe-
„tua sabbatha erunt. Sunt autem hæc in spiritu & fide.
Cum quo loco confer quæ exhibentur *Altenb. Tom. I. p. 210. & 428. Tom. III. p. 46. & 297. Tom. IV. p. 610. Tom. VII. p. 43.* Cum Luthero facit fidelis ejus olim Parastata B. Brentius *Comm. in h. l. opp. Tom. IV. p. 867.* ubi ait, quod;
„qui ex omni carne, sive Judæis sive gentibus, acceperint Ev-
„angelium fide sua, non uno tantum Neomeniæ aut sabba-
„thi die, sicut hactenus Judæis usitatum est, sed de neome-
„nia in neomeniam, de sabbatho in sabbathum hoc est, sem-
„per, sine ulla intermissione, culturi sint & adoraturi filium
„Dei & invocaturi Deum Patrem cœlestem per nomen ejus.
Quæ sententia nec Calvino displicet *in h. l. opp. Tom. IV. p. 481.* commentanti: Iterum docet Propheta, quale discri-
„men futurum sit inter spiritualem Dei cultum, qualis erit
„sub regno Christi, & carnalem, qui sub lege fuit. Singu-
„lis mensibus in novilunio sacrificia offerebantur, erant sab-
„batha aliique festi ac solennes dies, quos diligenter obser-
„vabant: At sub regno Christi perpetua erit & continua so-
„lennitas: nec enim fixi sunt & stati sacrificiorum dies, qui-
„bus eundum sit Hierosolymam, aut quicquam hic vel illic
„offerendum: sed nostræ oblationes, feriæ & lætitiæ conti-
„nua serie velut ex die in diem perpetuantur: Et post ali-
„qua interjecta. Subest hic antithesis inter sabbatha & fe-
„stos dies, qui celebrabantur sub lege, & sabbathum, quod
nobis hodie continuum est. Arridere quoque eadem opinio Tremellio & Junio videtur, quando ad versionem suam: *de novilunio in Novilunium alterum & de sabbatho in sabbathum alterum*, in notis exegesin hanc adjiciunt:
Eccle-

Ecclesia indesinenter colet me, non autem anniversariis ri-„ tibus ex veteri lege. Quidam autem interpretes textum nostrum de cultu, qui dominicis aliisque festis diebus in N. T. Numini solenniter exhibetur, agere contendunt. Ita enim Forerius *Bibl. Critic. Tom. II. p. m. 3051.* verba illius interpretatur: singulis quibusque mensibus & singulis sab-„ bathis: non ut olim, ter in anno, sed sæpissime omnes Chri-„ stiani venient ante dominum ad eum deprecandum. Et,„ post quædam interjecta: Si non de adventu in templa hic,„ esset sermo, non opus erat dierum sabbathorum & festivi-„ tatum mentionem facere, neque verbo veniendi uti; nam,„ orandi semper datur nobis locus & tempus. Neque enim,„ ut quidam volunt, de mense in mensem & de sabbatho in„ sabbathum est totis mensibus & totis septimanis: tunc enim,„ non veniet, dicendum, sed stabit. A quo non abit recen-„ tissimus doctissimusque Commentator Prophetæ nostri, Dominus Vitringa, cui *part. II. p. 953.* summam versiculi nostri exprimere placuit sequentibus verbis : Conditorum perfectorumque cœlorum novorum ac terræ consequens,„ fore, ut tandem omnes per orbem homines, vera religio-„ ne agnita, ingente zelo statis temporibus Deum publice„ colant ac venerabundi celebrent atque adorent, & quidem„ ritu spirituali.

§. VIII.

Quamvis autem utraque hæc sententia analogiæ fidei neutiquam adversetur, nec in orthodoxam doctrinam ulla ratione impingat, sive quis textum nostrum de cultu continuo spirituali, sive de cultu Nomini divino statis temporibus solenniter præstando interpretetur, eam tamen con-

textui non adeo convenire infra ostendemus, demonstraturi, Esaiam de feriis in vita æterna perpetim celebrandis vaticinari. Id vero adhuc monendum, nos, etsi vaticinii nostri interpretationem de cultu continuo spirituali haud prorsus improbemus, minime tamen in eorum concedere sententiam, qui inde diei hebdomadalis Deo sanctificandi moralitatem destruere nituntur. Sit enim verum, recte inquit Marckius *in VI. Exercit. Scriptur. V. T. p. 443.* Deum sub N. T. uti ab omni carne, & in omni loco, ita & in „omni tempore, esse sanctissime colendum & glorificandum „absque intermissione; non hinc sequetur magis, conven„tuum communium & solennioris cultus tempora distin„cta quædam quam loca esse defutura, quemadmodum & „eventus contrarius arguit, illuc vaticinium hoc trahi non debere. Plura dabunt scriptores, qui de moralitate Sabbathi ex instituto egerunt.

§. IX.

Ad tertiam classem refero Judæos, qui temporibus regni Messiæ unam tantum religionem & legem unam, Israelitarum scilicet, in orbe futuram esse docent, hancque suam opinionem ex loco nostro stabilire conantur. Vide R. Isaacum *in* חזוק אמונה seu *muniminine fidei* citatum a B. Neumanno *in disp. de Chiliasmo subtilissimo §. 17.* In qua sententia refellenda non est, ut multum operæ impendamus, cum enim regnum Messiæ, quale sibi fingunt Judæi, nunquam exstiturum, nec una tantum religio & lex una temporibus regni Messiæ dabitur. Non entis enim nullæ sunt affectiones. Quamvis etiam Esaias in textu nostro afferat, omnem carnem aliquando se incurvaturam esse co-

ram

ram Deo, inde tamen colligere haud licet, unam in toto orbe fore religionem, quandoquidem jam ſupra in *ſect. I.* oſtenſum fuit per omnem carnem omnis generis homines ſaltim intelligendos eſſe.

§. X.

Quartam claſſem aſſigno Chiliaſtis, quorum interpretationem Hieronymus *Comm. in h. l. Opp. Tom. V. p. m. 218.* ſequentibus exprimit verbis: Menſem ex menſe ut ſabbathum ex ſabbatho, in quibus veniet omnis caro, ut adoret„ Deum: ridicule interpretantur χιλιασταὶ, quos nos dicere„ poſſumus Milliarios, ut, qui in vicino ſunt, omni ſabba-„ tho veniant in Hieruſalem; qui longius, per menſes, id„ eſt Calendarum orbe completo, qui valde procul, per an-„ nos ſingulos, hoc eſt, diebus Paſchæ ſive tabernaculorum„ juxta illud quod in Zacharia dicitur: Aſcendent ab anno„ in annum ut adorent dominum regem exercituum, & ce-„ lebrent feſtivitatem tabernaculorum. Verum cum in textu noſtro (α) Hieroſolymæ nulla prorſus fiat mentio, (β) diſtinctionis inter gentes Hieroſolymæ vicinas & ab illa remotas nullum appareat veſtigium; (γ) huic expoſitioni textus expreſſe reclamet, quandoquidem omnis caro de menſe in menſem & de Sabbatho in Sabbathum, adeoque eodem tempore venire, perhibetur; (δ) Chiliaſtarum hypotheſis, cui hæc interpretatio innititur, nullo fundamento nitatur; facile patet Hieronymum ex tripode pronunciaſſe, quod Chiliaſtæ verba textus noſtri ridicule interpretentur.

textui non adeo convenire infra ostendemus, demonstraturi, Esaiam de feriis in vita æterna perpetim celebrandis vaticinari. Id vero adhuc monendum, nos, etsi vaticinii nostri interpretationem de cultu continuo spirituali haud prorsus improbemus, minime tamen in eorum concedere sententiam, qui inde diei hebdomadalis Deo sanctificandi moralitatem destruere nituntur. Sit enim verum, recte inquit Marckius *in VI. Exercit. Scriptur. V. T. p. 443.* Deum sub N. T. uti ab omni carne, & in omni loco, ita & in „omni tempore, esse sanctissime colendum & glorificandum „absque intermissione; non hinc sequetur magis, conven„tuum communium & solennioris cultus tempora distin„cta quædam quam loca esse defutura, quemadmodum & „eventus contrarius arguit, illuc vaticinium hoc trahi non debere. Plura dabunt scriptores, qui de moralitate Sabbathi ex instituto egerunt.

§. IX.

Ad tertiam classem refero Judæos, qui temporibus regni Messiæ unam tantum religionem & legem unam, Israelitarum scilicet, in orbe futuram esse docent, hancque suam opinionem ex loco nostro stabilire conantur. Vide R. Isaacum *in* חזוק אמונה seu *munimine fidei* citatum a B. Neumanno *in disp. de Chiliasmo subtilissimo* §. *17.* In qua sententia refellenda non est, ut multum operæ impendamus, cum enim regnum Messiæ, quale sibi fingunt Judæi, nunquam exstiturum, nec una tantum religio & lex una temporibus regni Messiæ dabitur. Non entis enim nullæ sunt affectiones. Quamvis etiam Esaias in textu nostro asserat, omnem carnem aliquando se incurvaturam esse coram

ram Deo, inde tamen colligere haud licet, unam in toto orbe fore religionem, quandoquidem jam ſupra in *ſect. I.* oſtenſum fuit per omnem carnem omnis generis homines ſaltim intelligendos eſſe.

§. X.

Quartam claſſem aſſigno Chiliaſtis, quorum interpretationem Hieronymus *Comm. in h. l. Opp. Tom. V. p. m. 218.* ſequentibus exprimit verbis: Menſem ex menſe ut ſabbathum ex ſabbatho, in quibus veniet omnis caro, ut adoret„ Deum: ridicule interpretantur χιλιασταί, quos nos dicere„ poſſumus Milliarios, ut, qui in vicino ſunt, omni ſabba-„ tho veniant in Hieruſalem; qui longius, per menſes, id„ eſt Calendarum orbe completo, qui valde procul, per an-„ nos ſingulos, hoc eſt, diebus Paſchæ ſive tabernaculorum„ juxta illud quod in Zacharia dicitur: Aſcendent ab anno„ in annum ut adorent dominum regem exercituum, & ce-„ lebrent feſtivitatem tabernaculorum. Verum cum in textu noſtro (α) Hieroſolymæ nulla prorſus fiat mentio, (β) diſtinctionis inter gentes Hieroſolymæ vicinas & ab illa remotas nullum appareat veſtigium; (γ) huic expoſitioni textus expreſſe reclamet, quandoquidem omnis caro de menſe in menſem & de Sabbatho in Sabbathum, adeoque eodem tempore venire, perhibetur; (δ) Chiliaſtarum hypotheſis, cui hæc interpretatio innititur, nullo fundamento nitatur; facile patet Hieronymum ex tripode pronunciaſſe, quod Chiliaſtæ verba textus noſtri ridicule interpretentur.

§. XI.

Quinta classis est eorum, qui locum nostrum accipiunt de vita æterna, in qua beati continuas ferias celebrabunt, Deumque sine intermissione in secula nunquam terminanda laudabunt. Ex Veteribus ad illam pertinet Tertullianus *de Resurrect. Carnis, Cap. XXXI. p.m. 344.* scribens: „Veniet, adorare omnis caro in conspectu meo dicit Dominus. Quando? quum præterire cœperit habitus mundi hujus. Confer. Augustinus *de Civ. Dei Lib. XX. cap. XXI. & XXVI.* atque Hieron. *Comment. in h. l. pag. m. 218.* & *Comment. in Ezech. cap. XLV. Opp. Tom. V. p. 470.* Ex recentioribus Scriptoribus eandem opinionem suam fecerunt & plenius exhibuerunt, B. Forsterus *Comment. in h. l. p. 818.* B. Gerhardus *de Consummatione seculi §. 45.* B. Calovius *in Bibl. illustr. Tom. II. p. 385.* B. Schmidius *Comment. in h. l. p. 617.* Carpzovius *in Concionibus Jesaianis. Part. IV. p. 323. seq.* Nec B. Lutherum ad hanc classem referre veremur, quamvis eidem locum in secunda classe supra adsignaverimus. Ita enim ipse *Comment. in Genes. cap. IIX. v. 22. Tom. IX. Altenb. p. 230.* "ubi ad locum „nostrum provocat, expresse scribit: **So lange derohalben „die Tage der Erden stehen, wird auch stehen die Erde, „und werden diese Veränderungen der Zeiten bleiben. „Wenn aber dieselben Tage auf Erden aufhören wer„den, so wird alles mit aufhören, und werden folgen die „Tage des Himmels, das ist, die ewigen Tage, die da „werden seyn, ein Sabbath am andern, darinnen „wir nicht mit leiblicher Arbeit werden umgehen und Nahrung schaffen.** „ Cui sententiæ accedere nulli-

li dubitamus, non tam magnorum Theologorum eam amplectentium autoritate, quam rationum pondere, moti.

§. XII.

Prophetæ in textu nostro de continuis in vita æterna feriis sermonem esse, *primo* ex σχέσει antecedentium & consequentium probamus. Cum enim in versiculo nostrum immediate præcedente agatur de cœtu beatorum in omnem æternitatem coram Deo perstituro, quemadmodum Cœlum novum & terra nova in secula nunquam terminanda coram Deo persistent; & in commate versiculum nostrum immediate sequente, de Cœtu damnatorum, quorum Vermis non morietur & ignis non extingvetur, differat Propheta, videtur omnino versiculus quoque noster, qui cum istis duobus tam arcte connectitur, de alterius non hujus vitæ statu agere, eundemque de feriis, quas beati in futuro seculo sine intermissione celebrabunt, commodissime exponi posse.

§. XIII.

Si quis contra hanc rationem ex versu textum nostrum antecedente desumtam urgere velit, per cœlum novum & terram novam in scriptura non tantum gloriæ, sed etiam gratiæ regnum denotari, adeoque ex illo versu haud firmiter inferri verba oraculi nostri de continuis in vita æterna feriis accipienda esse. Nam quemadmodum nos, ex eo, quod Esaias per cœlum novum & terram novam regnum gloriæ intelligit, ipsi in textu nostro de festivitate perpetua in cœlis celebranda sermonem esse, collegimus: ita alii supponentes Prophetam per cœlum novum & terram novam, regnum Christi spirituale in his terris innuere, concludent, illum

illum de feriis in his terris ad finem mundi duraturis, sermocinari. Ad quam exceptionem regero (α,) nondum extra omnem controversiæ aleam positum atque demonstratum esse, quod per novum cœlum & novam terram ullibi in scriptura S. regnum gratiæ aliquando cessaturum intelligatur. Certe immortalis famæ Theologus, B. Gerhardus, quatuor loca, in quibus novi cœli & novæ terræ Scriptura meminit, de regno gloriæ exponit. In Esaiæ *cap. LXV. 17.* quem haud pauci interpretes de regno gratiæ explicare solent, cœlestem beatorum patriam unice intimari, *ex 2. Petr. III. 13. & Apoc. XXI. 1.* manifestum esse, ait, imo ex ipso loco prophetico id ipsum firmiter colligi, *in loco de Consumm. seculi* §. 7. asseverat. Nec minus *Esa. LXVI, 22.* eodem sensu *in Comment. ad 2. Petr. III. 13.* exponit. Ostensurus enim *versic. 13.* cum anteced. connexionem, inquit, cœlorum, qui nunc sunt, & terræ, quæ nunc est, destructioni opponi creationem novi cœli & novæ terræ, quæ nunquam destruentur, sed in æternum perdurabunt, eamque testimonio prophetico confirmari. Ut autem constet, ad quod testimonium Petrus respexerit, verba, quæ *Es. LXV, 17. & cap. LXVI, 22.* occurrunt, a B. Theologo *l. c. p. 438.* in medium adducuntur. (β) Si vel maxime etiam admittamus, quod per novum cœlum & novam terram regnum gratiæ quoque in codice sacro repræsentetur, per eadem tamen in versu nostrum precedente regnum gloriæ potius intelligendum esse, ipse contextus svadet, cum statui damnatorum, de quo in versiculo ultimo Propheta agit, non tam commode status fidelium in his terris, quam status beatorum in cœlis opponatur, adeoque ad eundem *versic. 22. & 23.* rectius referantur.

§. XIV.

§. XIV.

Secundo. Interpretatio nostra ex phrasiologia, מִדֵּי חֹדֶשׁ בְּחָדְשׁוֹ וּמִדֵּי שַׁבָּת בְּשַׁבַּתּוֹ, corroborari potest, cum eadem talis Neomeniarum & Sabbathorum continuitas, quæ sine intermissione est, indicetur. Quemadmodum similes locutiones מִיּוֹם לְיוֹם מֵחֹדֶשׁ לְחֹדֶשׁ *Esth. III, 7. Psalm. XCVI, 2.* מִדֵּי שָׁנָה בְּשָׁנָה *I. Sam. VII, 6. & II. Chron. XXIV, 5.* ejusmodi continuitatem inferunt, ita ut si aliquid de die in diem, de mense in mensem, de anno in annum, factum esse, dicitur, hoc ipso innuatur, nullum diem, nullum mensem, nullum annum intercessisse, quibus idem fieri non consveverit. In nostram sententiam abit doctissimus Grammaticus & interpres R. David Kimchi, qui expositurus phrasin מִדֵּי חֹדֶשׁ בְּחָדְשׁוֹ, cum ea, quæ *Esth. III, 7.* legitur, confert, atque sequentia verba addit ומלת די מורה על התמדת הדבר בלא הפסק, id est, Interprete Dn. Vitringa, Vocula autem די hic indicat rei continuitatem, quæ excludit intermissionem. Isthanc autem interpretationem haud approbat laudatus Vitringa, eamque probabilem esse dicit, si scripsisset Propheta מִדֵּי חֹדֶשׁ בְּחֹדֶשׁ, a noviluno ad novilunium: sed scribi ad novilunium sive in novilunio *suo*: inde provocat ad verba Aben-Esræ, qui phrasin *Novilunium* in *Novilunio suo*, cum phrasi דְּבַר יוֹם בְּיוֹמוֹ *opus cujusque diei in die suo. Exod. V, 13. & 19.* comparari debere, eademque *opus singulis diebus assignatum in tempore suo*, denotari judicat, eademque suo calculo approbans, sequentia addit: Vocala די constructa cum מ in voce מִדֵּי, in illis locis, quibus usurpatur, notat non tan-„ tum initium, sed & continuitatem temporis illius vel actus,„ qui

„ qui in oratione exprimitur. Duplicatio autem vocis cum „affixo relativo, significat tempus certum ac determinatum, „ut *Dan. I, 5.* & Rex constituit (definivit) דְּבַר יוֹם בְּיוֹמוֹ „rem diei in die suo, quem cibum quolibet die sumerent. Sic „in legibus Mosaicis *Num. XXVIII, 10.* Holocaustum שַׁבַּת „בְּשַׁבַּתּוֹ, sabbathi in sabbatho suo: phrasis valet, quan- „do præcisus & definitus sabbathi dies advenerit. Et post „pauca adjicit, sensus itaque Prophetæ est: omnem carnem „Noviluniis & Sabbathis, certis definitisque diebus adscen- „suram esse ad adorandum coram Jehova.„ Quid autem per certos atque definitos dies clarissimus Vir intelligat, ipse *l. c. p. 955.* indicat, scribens: si statuas Diem Do- „minicam hic præcipue respici, exemplo Christi Jesu & in- „stituto Apostolico religioni Christianæ consecratam, quip- „pe quæ dies figuram exhibet quietis a peccato & lege, & „novæ lucis mundo exortæ in Christo Jesu resuscitato ex „mortuis: nihil meo judico erraveris: nec tamen verba „Prophetæ nos cogunt, eorum sensum huic diei definite ad- „stringere. Quoties Christiani in unum coëunt ad sacra „sua celebranda & religionem suam profitendam, sabba- „thum & Novilunium agunt.

§. XV.

Ast pace Celeberrimi Viri negamus ex ו relativo, quod vocibus חֹדֶשׁ & שַׁבָּת in textu nostro adjicitur, firmiter colligi posse, per Novilunia & Sabbatha certos definitosque dies festos a profestis diebus distinctos intelligi. Certe ex *Exod. V, 13. & 19.* ubi duplicatur vox יוֹם cum suo relativo id minime probari potest. Quis enim ex eo, quod Israelitæ דְּבַר יוֹם בְּיוֹמוֹ, opus cujusque diei in die suo, sed

ſed opus ſingulis diebus adſignatum habuiſſe dicuntur, tuto inferret, eos etiam habuiſſe dies alios, in quibus â laboribus feriari ipſis licuerit. Conſequenter nec ex eo, quod in textu noſtro omnis caro â novilunio in novilunium ſuum & â ſubbatho in ſabbathum ſuum ad incurvandum ſe coram Deo venire dicitur, colligere licebit, admitti debere alios dies, quibus illa ab iſto cultu Numini exhibendo vacabit. Potius, ſi phraſis, quæ in textu noſtro occurrit, cum illa, quæ *Exod. V, 13. & 19.* legitur, comparari debet, concludere licebit, uti populus Iſraeliticus in Ægypto omnibus diebus, nullo excepto, opus ſibi adſignatum perficere cogebatur: ita beatos in altera vita perpetuas ferias celebraturos eſſe. Tandem notamus, ſi vel maxime celeber. Vitringæ obſervatio de duplicatione vocis cum affixo relativo ו in quibusdam ſcripturæ locis locum inveniat, in noſtro tamen neutiquam invenire. Cum enim in eodem, ut ex antecedentium & conſequentium nexu paulo ante demonſtravimus, non de hujus, ſed alterius vitæ ſtatu agatur, in ea vero nulla dierum viciſſitudo detur, ſatis eluceſcit, Eſaiam non loqui de certis atque determinatis diebus, in quibus homines ad colendum Deum convenient, ſed potius indicare, aliquando electos in altero ſeculo continuas Neomenias & ſabbatha continua ſine intermiſſione in omnem æternitatem celebraturos eſſe.

§. XVI.

Evicto ita genuino verborum oraculi noſtri ſenſu, quod in eodem de continuis in vita æterna feriis agatur,

primo erroris arguimus, qui vitam æternam dari inficiantur. Quales sunt Epicuræi, Sadducæi & Empectæ tam intra quam extra ecclesiæ visibilis pomœria, quorum aliquot B. GERHARDUS *Loco de Vita æterna* §. 29. & B. SCHERZERUS *in System. p.* 621 mentionem faciunt. Deinde atro quoque calculo notamus, qui quidem vitæ æternæ existentiam haud inficias eunt, ejus tamen in Veteri Testamento mentionem fieri negant & hominibus ante Christum natum viventibus bona tantum temporalia & terrena, haud vero spiritualia & æterna promissa fuisse, asserere non verentur. Cui sententiæ non tantum Socinianos allegatos a B. SCHERZERO *in Collegio Anti-Socin. disp.* 38. *p. m.* 315. Anabaptistas, citante B. CHEMNITIO *LL. Commun. Part. III. Loco de discrimine V. & N. T. p. m.* 88. Ex Papistis CORNELIUM a LAPIDE *Comm. in Levit. XIIX*, 5. *p. m.* 703. ESTIUM *Comm. in Epist. ad Hebr. II*, 3. *p. m.* 881. Ex Arminianis etiam aliqua ex parte Episcopium *Lib. III. Instit. Sect. IV. cap. I. opp. Part. I. pag.* 155. GROTIUM *de Verit. Relig. Christ. L. II. p.* 39. applaudere deprehendimus, sed jam olim quosdam Ecclesiæ Patres hanc erroneam opinionem fovisse observamus. Ita sane HIERONYMUS *Lib. I. adversus Pelagium Opp. Tom. II. p. m.* 185. ubi Atticus cum Critobulo disputans inducitur, & nomine illius HIERONYMUS regerit: Addis præterea regnum cœlorum etiam in „V. T. repromitti: ponisque testimonia de apocryphis, cum „perspicuum sit regnum cœlorum primum in Evangelio „prædicari per Johannem Baptistam & dominum Salvato-„rem & Apostolos. Et CHRYSOSTOMUS de utriusque

fœde-

fœderis promissionibus differens *homil. XVI. in Cap. V. Matth. p. 194. edit. Græco-Latin. Parif. 1636.* inquit: non„ enim jam lacte ac melle manans terra promittitur, non se-„ nectus uberior, nec numerositas filiorum, non frumenti„ vinique copia, non ovium atque armentorum greges„ sed cœlum, & ea quæ sunt in cœlo bona. Idem laudatus doctor Ecclesiæ verba ista enarrans, *prædicate dicentes appropinquavit regnum cœlorum* hæc subjungit verba *Homil. XXXIII. in cap. IX. pag. 382.* Vides„ ministerii magnitudinem, vides sublimem Apostolorum„ dignitatem: nihil quod ad corpus, nihil quod ad hos sen-„ sus pertineat, nec similia Mosis & Prophetarum doctrinæ:„ sed nova quædam & inaudita, qualia priores non docue-„ runt: quia terrena hæc bona promittebant; sed cœlorum„ regnum & totam illam beatitudinem prædicare jubentur.„ Quæ omnia *homil. IV. in Marcum p. 1055. T. II. edit. Latin. Parif. 1588.* paucis istis complectitur verbis: *legens legem, legens Prophetas, legens psalterium, nunquam audivi regnum cœlorum, nisi in Evangelio.* Utrumque errorem non est, ut operose discutiamus, vitamque æternam dari, & eam fidelibus tempore, quod Christi adventum præcessit, cognitam atque perspectam fuisse, multis edoceamus. Cum B. GERHARDUS juxta ac B. CALOVIUS, Theologi de ecclesia Christi longe meritissimi, nobis ferias hic fecerint. Ille enim *in Loco de Vita æterna â pag. 730. asque ad pag. 775.* ex Mose, Jobo & Psalmis, Prophetis, libris apocryphis, novi testamenti scriptis, item exemplis, rationum momentis, typis & parabolis, nec non tandem ex Ecclesiæ symbolis: hic

autem *in Syſtem. Theol. Tom. XII. p. 286. ſeqq.* centum & quadraginta tribus argumentis ex Veteri pariter ac Novo Teſtamento deſumtis, vitæ æternæ exiſtentiam ejusque in utroque Fœdere notitiam luculenter adeo demonſtrarunt, ut nec ſpicilegium aliis reliquerint. Inter Pontificios, LUDOV. FERRANDUS, *in Libro Pſalm. cum argum. paraphr. & annotat. p. 117.* ut immortalitatem animarum & connexam ei vitam æternam ſive beatam ſive infauſtam priſcis Patriarchis & Prophetis notam fuiſſe credat, ea ratione ſe impelli ſcribit; quod eam doctrinam populis hominibusque ethnicis CHALDÆIS, ÆGYPTIIS, THRACIBUS, DRUIDIS, GERMANIS, INDORUM MAGIS, HOMERO, THALETI, PHERECYDI SYRO, PYTHAGORÆ, ZAMOLXI, POLYTI, EPICHARMO, PINDARO, ANAXAGORÆ, EMPEDOCLI, PLATONI, ZENOCRATI, TIMONI, DIOGENI, ELYSIO, EUXITHEO PYTHAGORICO, CICERONI, VIRGILIO, DIONYSIO HALICARNASSENSI, SENECÆ, PORPHYRIO, aliisque exploratam fuiſſe, HERODOTUS, PLATO, CHOERILUS, CLEARCHUS ab ATHENÆO prolatus, THEMISTIUS, CÆSAR, CICERO, VIRGILIUS, DIONYS. HALICARNASSENSIS, SENECA, PAUSANIAS, APPIANUS, PLUTARCHUS, LAERTIUS, CLEMENS ALEXANDRINUS, LACTANTIUS FIRMIANUS, EUSEBIUS CÆSARIENSIS, JULIANUS, THEODORITUS, STOBÆUS & COELIUS RHODIGINUS teſtentur. Quamvis autem negare nolimus, gentiles aliquam futuræ vitæ notitiam habuiſſe, eam tamen admodum imperfectam obſcuram & incertam fuiſ-

ſe,

se, diffiteri non possumus. Quam ob causam AUGUSTINUS *Serm. XXXIV. de verbis Apostoli Tom. X. p. m. 408.* scribere non dubitavit: Hoc præcipue Christianos â ,, gentili errore secernit, quia illi hanc tantummodo vitam ,, esse credunt, & ideo sine Deo esse & diversis peccatis at- ,, que criminibus non metuunt inquinari. Nos vero ita ,, in hac vita conversemur, ut nos ad aliam præparemus, in ,, qua & bonis bona, & malis mala tribuentur.

§. XVII.

Antequam finem dissertationi nostræ imponamus, non abs re erit adhuc ostendere, cur supremo Numini sub Neomeniarum & Sabbathorum imagine beatissimum illum futuri seculi statum repræsentare placuerit, id quod commodissime fieri posse putamus, si rationes similitudinis, quæ vitam æternam inter & Neomenias Sabbathaque intercedunt, paulo curatius investigemus. Existimamus autem, Neomenias & Sabbatha veteris Ecclesiæ typum esse vitæ æternæ non ex ea parte, qua peculiarem aliquam rationem habebant atque â reliquis festis differebant. Licet enim, ad sabbatha quod attinet, diei septimi præcise ratio, &, ad Neomenias quod attinet, novæ lucis, quam â sole tunc accipit luna, consideratio suis quibusdam meditationibus ansam, præbere possit, quibus illæ circumstantiæ peculiares ad statum vitæ æternæ accommodari possent; qua in re ingenium suum B. Hieronymum *ad h. l.* exercuisse deprehendimus: non tamen opus esse arbitramur, in explicanda relatione typi ad antitypum ad specialia hæc descendere. Sed quemadmodum

Neomeniæ & ſabbatha hic per ſynecdochen ſpeciei pro genere, pro quovis feſto accipi poſſunt, quia hæc erant genera dierum feſtorum notiſſima & creberrime redeuntia: ita tertia comparationis, inter Sabbatha & Neomenias ex una, & vitam æternam ex altera parte non aliunde ſunt inveſtiganda, quam ex communi omnium feſtorum dierum ratione. Feriæ ergo hujusmodi typus ſunt futuræ vitæ tum ratione quietis, tum ratione cultus divini, tum etiam ratione ſolennis gaudii ac lætitiæ: Scilicet, ad tertium comparationis primum quod attinet, quemadmodum quies externa, & ceſſatio ab omni opere imprimis erat de ratione feriarum: ita & in ſtatu vitæ æternæ quies quædam ac ceſſatio longe præſtantiſſima locum eſt habitura. Ceſſabunt ibi beatæ mentes non tantum ab opere peccatorum & infirmitatum, quæ ipſas in hac vita tanquam εὐπερίστατον ἁμαρτίαν circumſtant: *Ebr. XII, 1.* ſed ceſſabunt etiam â laboribus rerum omnium mundanarum ac temporalium, qui ſanctorum animas in hac vita tanquam Ægyptiaca quædam ſervitus, premunt, exercent, ac defatigant. Ceſſabunt â laboribus ærumnarum ac calamitatum, quarum dolores Ebræi laborandi vocabulo exprimunt. vid. FLACIUM *in voce labor*. Scilicet ille doloris ſenſus ingratus, qui cum labore his in terris conjunctus eſt, ad maledictionem ſpectat, â qua beati cœlites in æternæ vitæ quiete omnino liberandi ſunt. Quemadmodum autem corpus quieſcens ſtrato lecto, aut alii corpori, ſuſtentandis ac fovendis feſſis artubus apto ſuperſternitur; mens autem quieſcens in præſtanti quodam bono ejusque ſenſu ac fruitione recumbit: ita fundamentum quietis animarum in altera vita

erit

erit possessio & fruitio summi boni, hoc est, Dei, in quo per visionem intuitivam, ac amorem ardentissimum, perfectissimamque adeo fruitionem, recumbentes quiete utique fruentur longe præstantissima consummatissimaque.

§. XVIII.

Alterum comparationis tertium consistit in cultu divino, cujus publico ac solenni exercitio feriæ imprimis destinatæ erant omnes. Atque illa quidem comparationis ratio eo magis considerari meretur, quum expressis verbis in textu habeatur. Hujusmodi autem cultus excellenti quadam ac perfectissima ratione competit animabus in beata vita degentibus, utpote quæ ab omnibus infirmitatibus peccatorum, quibus cultus Dei hic sæpius impeditur, sufflaminatur ac polluitur, immunes plane erunt, & longe perfectiore etiam cognitione Dei, majorique sensu amoris ac bonitatis divinæ, ad intimam cum Deo unionem admissæ, gaudebunt. Quæ omnia, quum fundamentum omnis cultus constituant, ubi ad istum perfectionis gradum pervenerint, facile patet, quam excellens æternarum feriarum cultus Dei futurus sit. Unde & beatæ in cœlo mentes sine intermissione Deum colentes, canticum Mosis & agni cantantes, Deoque nocte dieque in templo ejus servientes B. JOANNI APOSTOLO *in Apocalypsi Cap. XV. 3.* repræsentantur.

§. XIX.

Ultimum denique comparationis tertium ad publica gaudia & lætitiam spectat, qua dies feriati olim exigi solebant.

bant. Illa vero vitæ futur
marum quiete, quæ ex pe
oritura ſunt, quæque adeo
totas ac intime pervaden
lingua eloquatur? Satius
tanto argumento longe
majeſtati rerum dicendar
ferat ipſe Spiritus S. qui n
diviſſe, nec in cor homin
ciat, quæ Deus ſe diligent

Nos hic vela hujus
liciter tenemus, contrah
ChriſtoqueSalvatori, Patr
bis liberaliter gratia & a
precamur, velit beatisſim
no ſuffulta credimus, ac
mus, exantlato vitæ temp
concedere. Ille nobis ju
vitæ & miſerias demulce
robur, ac veræ pietatis c
non obverſari faciat, nos
nuis noviluniis ſuis ac p
caro ad adorandum c
& gloria in ſec



vitæ futuræ gaudia, quæ ex dulcissima ani-
quæ ex perfectissimo purissimoque Dei cultu
eque adeo beatissimas animas demulcebunt,
pervadent, ecquis calamus describat, quæ
ur? Satius est hic tacere, quam pauca, eaque
to longe imparia ac indigna balbutiendo,
dicendarum injuriam facere. Sententiam
us S. qui nec oculum vidisse, nec aurem au-
or hominis ea penetrasse gravissime pronun-
se diligentibus præparaverit. *1. Cor. II, 9.*

§. XX.

vela hujus meditationis, postquam portum se-
, contrahimus, actisque devotissimis Deo,
atori, Patri æternitatis hujus, pro concessa no-
gratia & auxilio, gratiis eundem toto pectore
t beatissimas hasce ferias, quas fide verbo divi-
edimus, ac dulci quodam prægustu præsenti-
vitæ temporalis labore, nobis clementissime
lle nobis jucundissima ista spe ærumnas hujus
s demulceat, ille beatum hoc ævum in fidei
pietatis calcar & stimulum menti nunquam
faciat, nosque demum eo adducat, ubi conti-
s suis ac perpetuis sabbathis suis veniet omnis
randum coram Jehova, cui sit laus honor
oria in secula nunquam terminanda

Amen.

